METHODVS

ELOQVENTIAE COMPARANDAE,

SCHOLIS ALIQVOT RHETORICIS TRADITA

à

MELCHIORE IVNIO Vuitebergenſi, *Eloquentiæ in Argentinenſi Academia Profeſſore.*

Cum Gratia & Priuilegio Caſ. Maieſt.

BASILEAE
per CONRADVM VALDKIRCH.
cIↄ Iↄ xIc.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Illuſtri ac Generoſo Domino,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GEORGIO FRIDERICO Comiti in Hardegg, Glatz & Machland: hæreditario Auſtriæ Archiducatus pincernæ, & Stiriæ dapifero, Domino ſuo Clementi

MELCHIOR IVNIVS S. P. D.

VERE, *Illuſtris & Generoſe D. Comes, à Solone dictum illud videtur, quod in prouerbiu[m] poſt abijt:* δυσκολα τὰ καλὰ, *difficilia quæ pu[l]chra. Siue enim virtutes ipſas conſider[a]uerimus: ſiue artes atq; diſciplinas habu[e]rimus propoſitas: ſiue ad alia, quæ ho[...]*

num indu[illegible]ria perficiuntur, oculorum no ſ[illegible]m conuerterimus: labore magno: multo ſudore: cultu diuturno ea quæ ſunt præ[illegible]ara comparari reperiemus: cum quæ ſpreta, vilia, abiecta, vel ſeſe ipſa proferant: vel negotio non magno acquirantur. Et ſingulari hoc Dei Opt. Max. conſilio factum eſſe videtur: vt ſuo quæque res loco numeroq́ haberetur: & difficultate aliqua obiecta à ſomnolentis induſtrij: extari à remiſſis: ab abiectis, erectis excelſisq́ præditi ingenijs ſepararētur: ſtudium acre atq; ardens excitaretur: aditus, qui ad honores, dignitates, gloriam bono cuiq; & ſtrenuo patet, ignauis intercluderetur.

Verùm, ne longius abeam, neq; in alienis conquirendis multus ſim: quis eſt qui illud nō credat quod Ariſtoteles affirmat: eſſe[illegible] Cicero probat Quintilianus: docēt alij [illegible]icendi magiſtri: eruditi fatentur omnes, eloquētia nihil, vel vtilitate fructuoſius, vel ſplendore illuſtrius: vel oblecta[illegible]e incundius inueniri? Quis verò non, [illegible] in magna, tùm docentium, tùm di[illegible] multitudine oratores perquàm

paucos

paucos videt, aut etiam ſcribendum aliquid eſt, & dicendum, longè difficillimam eandem eſſe fateri cogitur?

Et eſt profectò cùm per ſe ſua [illegible] natura illa difficilis: tùm verò longè difficilior hominum, partim neglĩgētia, partim diſcendi ratione peruerſa redditur. Etenim, ut non meis, ſed Ciceronis, optimi ſcilicet & dicēdi & ſentiendi magiſtri, verbis utar, nec ſtultè aliorum luminibus obſtruere velle videar, ſatis eſt cæteris artificijs percipiendis tantummodò ſimilem eſſe hominis: & id quod traditur, vel etiam inculcatur, ſi quis fortè ſit tardior, poſſe percipere animo, & memoria cuſtodire: non linguæ mobilitas quæritur: non celeritas verborum: non denique ea quæ nobis fingere non poſſumus, facies, vultus, ſonus. in oratore autem acumen dialecticorum: ſententiæ philoſophorum: verba propè poetarum: memoria iureconſultorum: vox tragœdorum: geſtus penè ſummorum actorum eſt requirendus.

Quàm verò multi ſunt hodie, qui cum etiam indoctos naturæ quadam bonitate

non malè animi exprimere ſenſa, & quod volunt obtinere: artis contrà peritos exiguam in dicendo laudem conſequi animaduertunt, eos qui temporis aliquid operæq́; in eloquentiæ ſtudio ponunt, falsè rident, atque ludos facere exiſtimant?

Quotus porrò quiſq; eorum, qui arte quadam & doctrinæ conformatione opus eſſe ſtatuunt: vel de lauta rerum præclararum comparãda ſupellectile ſolicitus eſt: vel verborũ eligendorum, illuminandorum, ſtruendorũ cura tangitur: vel veterum in ſcribendo ſibi rationem proponit: vel de memoria & actione cogitationem vllam ſuſcipit: vel in manus ſtylum ſumit: non in linguæ quadam volubilitate: aut verborum profluentia inani dicendi eſſe vim atque facultatem poſitam exiſtimat?

Exagitat hoc apud Platonem nomine Sophiſtas Socrates: aliam dicendi magiſtri docti viam monſtrant: diuerſam ſummorum Oratorum Demoſthenis, Ciceronis & aliorum indicant orationes: diſſimilem flagitant qui vel ſcriptis ſuis eruditis, aut voce viua eloquentiæ ſtudia

promo-

promouēt: vel declamandi in ſcholis exercitationibus præſunt.

Itaq; vt & ego Spartam illam quæ mihi obtigit, non deſererem: & eloquentiæ amore flagrantibus auditoribus meis pro tenuitate mea commodarē: & eorundem locum precibus relinquerem: breuiter aliquot Scholis quænam ad eloquētiam parandam ſint neceſſaria, oſtendere volui. Rectè nec ne: aliorum iudicium erit. Non laudi hîc velificari meæ: ſed auditorum habere rationem volui. Viam illam, quam ſummorum cùm dicendi magiſtrorū, tùm oratorum impreſſam veſtigiis cernimus, candidè, apertè, fideliter monſtrare illis conatus ſum. Ad ſtyli exercitationes, ſine quibus nemo eloquēs vnquam eſt factus, quaſi manu eoſdem ducere ſtudui. Ea in re ſi quid fortè meam opinionem fefellit: tamē conatus hoſce meos, cuicuimodi tandem fuerint, atque experiundi voluntatem, nemo, opinor, improbabit: præſertim vbi leges etiam hac donatori liberali tribuere cogitârit: ne amplius ab eo exigatur, quàm facere commodè poſſit.

Tuo verò, Illuſtris & Generoſe D Comes GEORGI FRIDERICE, *inſcriptas dicataſq; nomini Scholas haſce meas lucem aſpicere, inq; aliorum peruenire manus volui propterea: vt publicum aliquod meæ, cùm in illuſtriſsimam familiam tuam: tum Te obſeruantiæ argumentum extaret. Sunt à Deo Opt. Max. data Tibi conceſſaq; omnia, quæ in optatis habere homines, & quibus eorundem hac in vita æſtimari felicitas ſolet. Patria contigit ea, quæ amplùm aliquando ad exercendam virtutem campum: latum ad laudem atq; gloriam Tibi curſum aperiet. Maiores habuiſti, non tam propter rei militaris peritiam, quàm doctrinam, prudentiam, virtutes, Principibus, Regibus, Imperatoribus charos: vtiles patriæ: ſuis honorificos. Antiquiſsimæ vtrinque familiæ parentibus:* HENRICO, *Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario: & matre Comite Turriana es procreatus. Educatione iam inde ab incunabulis præclara es vſus: ſine qua naturæ dona eximia ſæpe conſopiri, aut impediri: generis ſplendor, omniumq; rerum abundan-*

tia

tia obeſſe plus, quàm prodeſſe ſolet. Adiunctũ tibi habes D. SIMONEM HVPFFIVM, virum bonum: præceptorem fidum, diligentem, induſtrium: doctis omnibus propter eruditionem, morum probitatem, diſciplinæ amorem atque ſtudium probatum, charum, acceptum. Elucent in Te virtutes inſignes, quæ ſui in amorem homines pelliciunt, & à me commemorarentur, niſi illud poetæ è manibus calamum mihi extorqueret:

Φεῦ, πῶς ἄν σ' ἐπαινέσαιμι μὴ λίαν λόγοις,
Μήτ' ἐνδεῶς, μήτ' ἀπολέσαιμι τὴν χάριν:
Αἰνούμενοι γὰρ οἱ, γαθοὶ, τρόπον τινὰ
Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν.

Vnicum tamen hoc tacitus præterire nequeo, quòd ſtudiorum ad nos gratia miſſus, non Dialectica modò & Rhetorica præcepta aſſiduò audis: ſed & ſtylum ipſe diligenter excolis: Tua etiam præſentia diſputationum atq; declamationum exercitationes hebdomadarias, exornas. Vides nimirum dicendi illas atq; diſſerendi artes, quæ plus quibuſdam laboris, quàm ſplendoris: difficultatis, quàm vtilitatis

habere videntur, eiuſcemodi tamen eſſe, vt ſine ijs, aut ſolidam doctrinam comparare: aut ad ſuperiorum facultatum culmen, ſine caſu atq; prolapſione nemo conſcendere queat. Nihil, vel ad bene viuendum, vel rectè laudabiliterq; imperãdum aliis, externam generis claritatem, niſi literis eadem & doctrina fuerit inſtructa, prodeſſe intelligis. Miſeros atq; infelices eos eſſe noſti, qui cùm regere alios, Reiq; publicæ tractare gubernacula debent, non ſuis, ſed alienis auribus, ingenijs, linguis vti coguntur. Verum eſſe ſtatuis id quod Plutarchus author grauiſſimus ſcribit: non prudentia ſolùm, ſed eloquentia quoque Magiſtratus opus ſubditos habere: vt quemadmodum clauo naues reguntur: equi frenis coercentur: ſic illi oratione graui, ſapiente, diſerta, in officio contineãtur. Offert ſeſe Tibi M. T. Cicero: cuius vocem, veluti gladium diſtrictum mucronemq; audaces & ſcelerati in Romana Repub. metuerũt. Occurrit Demoſthenes, quem magis quàm Athenienſium catapultas, arietes, belliq; apparatus omnes reformidare ſeſe ipſe

Philippus

Philippus faſſus eſt. Plurimos alios, tum apud Græcos, tum Romanos, non ſolùm rei militaris peritiæ, verùm etiam doctrinæ dicendiq́ facultatis laude claros extitiſſe in vetuſtatis monumentis legis.

Quid ergo nunc reſtat? quid? nihil opinor, niſi vt primùm Deum Opt. Max. qui mentem hanc tibi præclaram, omnisq́ generis bona alia clementer eſt largitus, rogem: lucis Te vſura diuturna donare, tueri, regere, conſeruare velit: vt, quod in votis optatisq́ vnicum habere videris, magnum in Te aliquando Illuſtriſſima familia ornamentum: præclarum ſanguine iuncti commodum: egregium Reſpub. præſidium paratum habeat. Deinde precibus etiam, ea qua par eſt, à Te obſeruātia contendam: vt munuſculum hoc meum literarium, non, vel Tua, vel ſua dignitate metiri: ſed donantis æſtimare animo digneris. Vale, ARGENTINAE *7. Idus Martij. Anno recuperatæ per* CHRISTVM *ſalutis*

1585.

INDEX

CAPITVM QVAE HOC IN LIBELLO CONTINENTVR.

I. *De Methodi inſtitutæ cauſis. pag.* 1
II. *Ad eloquentiam comparandam quæ neceſſaria, & in Methodo inſtituta tractanda. pag.* 5
III. *Ad eloquentiæ ſtudia qui apti aut inepti, cur & quomodo conſiderandum.* 9
IIII. *Ingenia præclara quibus modis ad eloquentiæ ſtudia excitanda, cuſtodienda, excolenda, tractanda mediocria, vt ad frugem perueniant: inepta repudianda.* 17
V. *De arte & præceptis dicendi doctrinæ: cur & quibus illa ex authoribus diſcenda.* 32
VI. *De ordine, modo, iudicio in Rhetoricis præceptis cognoſcendis, colligendis, vſurpandis adhibendo.* 44
VII. *De plurimarum rerum ſcientia & cognitione: cur illa, & quorum potiſſimùm authorum lectione comparanda.* 52
VIII. *Quinam in ſpecie legendi ab oratore philoſophi, hiſtorici, poëtæ.* 57
IX. *Quo, & modo, & ordine authores boni legendi.* 74

X. De

X. De iudicio in bonorum authorum lectione adhibendo. 80

XI. De vſu authorum variorum in dicendo & ſcribendo. 84

XII. De locis communibus, cur illi, quibus in authoribus, quomodo inſtituendi. 94

XIII. De locis communibus hiſtoricis & poëticis. 102

XIIII. De Imitatione, quare illa ab eloquentiæ Studioſis: quibus cùm in rebus, tùm authoribus: quo, & modo, & iudicio inſtituenda. 109

XV. De Styli exercitatione, cur ab eloquentiæ Studioſis illa non negligenda: quamobrem difficilis: difficultas ea quo pacto ſuperanda. 131

XVI. De materia, quæ, & quo ordine in exercitationē ſtyli ad tractandum deligenda. 134

XVII. De loco & tempore ſtyli exercitationibus accommodato. 144

XVIII. De ordine & modo in ſcribendo obſeruando. 147

XIX. De emendatione ſcriptorum cùm noſtrorum, tùm aliorum. 160

XX. De memoria, quomodo quæ ſcripta iam & emendata [illegible] eidem mandanda. 168

XXI. De pronunciatione, quo pacto orationes ſcriptæ,& memoriæ mandatæ, recitandæ. 170
XXII. Methodi inſtitutæ concluſio. 173

METHO-

1

METHODVS ELOQVENTIAE COMPARANDÆ, SCHOLIS RHETORICIS TRADITA

à

MELCHIORE IVNIO Vvitebergenſi: Eloquentiæ in Argentinenſi Academia Profeſſore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE METHODI INSTItutæ cauſis.

CAPVT I.

METHODVM ego vobis & rationem comparandę Eloquentiæ hoc tradere tempore conſtitui, Auditores optatiſsimi; veſtris partim precibus motus: partim rei ipſius vtilitate adductus: cùm, vel Ariſtotelis, vel Ciceronis Rhetorica explicare præcepta decreuiſſem. Placet enim Syracuſani illius apud Thucydidem ſententia: qui amicis cedere amicos turpe minimè eſſe affirmat. Præclaræ eximiæq; ſpei adoleſcentibus ad Eloquentiæ, rei omnium pulcher- *Inſtitutæ methodi cauſæ.*

rimæ, atque vtiliſsimæ, arcem pleno, quod aiunt, curſu contendentibus, diſcendi commodum indicare modum nolle: non inhumanum minus eſſe videtur, q̃ iter facienti viam non monſtrare. Quod hominum genus execrari, omnibusq; infauſtis proſequi ſolitos fuiſſe Athenienſes legimus. Quanquam, vt rei me vtilitas neceſsitasq; impellit, veſtræ voluntati ac petitioni morem vt geram: ita ſumma eandem quæ comitatur ab inſtituto difficultas auocat. Quis enim non in Eloquentia paranda ordinem requirat: cùm non in artibus ſolùm: verùm etiam rebus omnibus aliis rectè, vtiliter, feliciterq; inſtituendis eundem valere plurimum intelligat? re verò ipſa experiatur, facilius atque celerius, eò quò tendunt peruenire, ſemitam qui norunt, quàm qui amnem (vt ille ait) ducem ſequuntur?

Ad eloquentiam parandam methodo opus.

Sed ſunt hac ipſa de re diſcrepantes & variæ variorum opiniones atque ſententiæ: vt melius eſſe videatur: aſſenſionē hîc omnem cohibere: quàm, aut falſum ſentire: aut non cognitum exploratumque ſatis, defendere. Sunt enim qui molli admodum leuique brachio Eloquentię ſtudia tractant: & dum difficultatem in iis aliquam experiuntur: non ſecus atque viatores ignaui medio quaſi in itinere ſubſiſtunt: & vt parum vtilia ac neceſſaria, vel leuia ea contemnunt, quæ conſequi non poſſunt. Alij, quia ad artem in ſcribendo

Diſcrepātes, atque diuerſæ de Eloquētia ſentētiæ.

bendo confugere, & laborioſum eſt, & puerile: ſpretis etiam præceptis: neglecta doctrina: imitatione contempta: laudem in dicendo non exiguam adeptos eſſe quoſdam norunt: ſtudio nihil: nihil arti: naturæ bonitati, ingenij præſtantiæ, indoli præclaræ omnia tribuunt. Nonnulli contrà ad pręcepta, quaſi Sirenum ſcopulos adhæreſcũt: de exemplorum animaduerſione atq; imitatione: de ſtyli exercitatione: de rerum præclararum præclara lautaq; comparanda ſupellectile minimè ſunt ſoliciti. Non etiam pauci, & ij quidem ingeniis præcellentibus, ſingulariq; diligentia præditi alias, easq; bene multas ac difficiles in dicendo nugas habẽt. Quibus idem ferè accidit, quod viatoribus vſu euenire nõnunquam videmus, vt dum temerè atq; inconſultò ſcrutari omnia conantur: in deuia tandem, deſertaq; loca deueniant: magna etiam cum moleſtia, decurſo iam ſpatio, à calce, quod aiunt, ad carceres redire cogantur. Opus ergo in hac iudiciorum multitudine, varietate, diuerſitate, & quaſi quodam biuio ductore eſt bono: qui quo pacto ſine prolapſione ſit incedendum, Eloquentiæ Studioſis oſtendat. Qua quidem in re, etſi probè intelligam, quàm curta mihi ſit accisáque ſupellex: quàm peregrinus & hoſpes iis ſim in locis, in quibus iter conficiendum: tamẽ nemo, opinor, meum hoc ſtudium improbabit: ſi ab aliis rogatus: non dico ducem me, ſed

comitem ſaltem præbuero. Etenim & à pere grinis obſeruari quædam interdum nouimus: quæ iiſdem in locis qui ſunt nati atque educati, non obſeruârunt. Et eiuſcemodi in rebus, quæ cum vtilitate magna difficultatem non paruam coniunctam habent: ſi perficiendi ſpes deſit: experiundi tamen voluntatem, beneque de aliorum ſtudiis merendi conatum quantulumcunque, gratum acceptumque bonis futurum ſpero. Itaque quod facere vel noctu, vel interdiu vitæ ignari ſolent: vt ſtatuas partim mercuriales, partim preſſa aliorum veſtigia obſeruent: idem & in hac tradenda methodo faciam: neq; è Rhetorum ſolùm depromptam officinis vobis rationem tradam: verùm etiã eam vobis monſtrare viam conabor, quam Demoſthenis, Ciceronis, aliorumque ſummorum oratorum ſignatam veſtigiis cernimus: vt eam tam diu Eloquentiæ Studioſi retineant, ac ſequãtur: donec melior, aut ab ipſis aliquando inuenta: aut tradita ab iis fuerit, quorum hoc in ſtudij genere conſilio auxilioque vti placuerit. Neque enim, aut viri boni, aut præceptoris fidelis eſſe puto: eam ſentiendi ſibi licentiam aſſumere: vt meliora atque vtiliora monſtrantibus, vel non cedat prorſus: vel grauatè admodum cedat: cùm, quæ in Scholis traduntur, non ad voluptatem: non nominis quandam propagationem: non ingenij aut doctrinæ oſtentationem; non ab aliis bene recteque

recteque traditorum deſtructionem : ſed diſcipulorum ſint commoda vtilitatesque dirigenda.

Ad Eloquentiam comparandam quæ neceſſaria, & in methodo inſtituta tractanda.

CAP. II.

QVIBVSNAM adductus cauſis hâc de inſtituendis oratoriis ſtudiis doctrinam in manus ſumpſerim: modò oſtendi. In re vtili quidem, ſed interim difficili, viam, non varietate vagam: non aſperam obſcuritate: non longitudine moleſtam: ſed planam, perſpicuam, breuem, requiri docui. Socij denique & comitis, non ducis hac in re qualemcunque pollicitus operam ſum. Reliquum nunc eſſe videtur: vt quam ingredi viam atque rationem conſtituerim, planum faciam. Quemadmodum enim iter qui ſunt facturi, vbi, quò, quibus contendere itineribus, quem diuertere ad locum velint, cognitum antè perſpectúmque habent, libenter, & quadam cum voluptate profectionem ſuſcipiunt: ita & in hac Eloquentiæ parandæ ratione vtile cumprimis eſt & neceſſarium: vt quæ tota hac in tractatione expectanda: breuiter, vnoque in loco ſub aſpectum ſubiiciantur. † Sit ergo Methodi inſtitutę caput hoc primum: vt qui vel

† Methodi inſtitutæ caput I. de natura & ingenio oratoris.

ipſi operam dare Eloquétiæ, vel erudiendos informandosq́; ſuſcipere alios volunt, aptíne & idonei, an verò inepti ſint, conſiderẽt. Neque enim, vt ille ait

Omnia pariter rerum ſunt vſibus apta:
Fama nec ex æquo ducitur vlla iugo.
Hic ſatus ad pacem: hic caſtrẽſibus vtilis armis,
Naturæ ſequitur ſemina quiſq; ſuæ.

Itaq; primò de φύσει natura oratoris agam: & quibuſnam modis ingenia exploranda: præclara excitanda, excolenda, confirmanda, in officio retinẽda: mediocria emendanda, corrigenda, ad frugem, quod aiunt, reducenda bonam: reiicienda mala & inepta oſtendam.

Methodi caput 2. de arte & præceptorum cognitione.

Alterum Methodi caput τῆς τέχνης artis erit & cognitionis præceptorum. Etſi enim peccẽt, & peccent grauiter, qui in nudis Rhetorum præceptis dicendi vim omnem poſitam eſſe exiſtimant: tamen nec illi audiendi ſunt: qui rationem & doctrinæ conformationem, vt vtilem minus ac neceſſariam planè reiiciunt. Hoc ergo ſecundo in capite, quibuſnam potiſsimùm è dicendi Magiſtris artis dicẽdi ſint petenda præcepta: quo ordine, modo, iudicioq́; legenda: vt præclara atq; eximia notanda, & in locos communes referẽda: ad vſum deniq; transferenda, monſtrãdum erit.

Methodi caput 3. de ἐπιςήμῃ variarum rerum ſcietia & cognitione.

Tertium in inſtituta Methodo locũ ἐπιςήμῃ, ſcientiæ, & multarum variarumque rerum cognitioni tribuendum eſſe cenſeo. Inanis enim & puerilis atque ridicula omnis verborum eſt profluen-

profluentia : ſtulta ac inepta linguæ volubilitas : ſi rerum abſit cognitio: ſi nullis inſtructa ſententiis:antiquitate nulla: nullis exemplis tincta oratio fuerit. Neq; malè apud Ciceronem Craſſus nihil tam eſſe furioſum affirmat, quàm verborum vel optimorum ſonitum inanem: nulla vel ſententia, vel ſcientia ſubiecta. Itaque opera hîc danda: vt ſcientia,quaſi viatico quodam præclaro Eloquentiæ ſtudioſus inſtruatur : & intelligat, cur & quorum potiſsimùm authorum lectione plurimarum rerũ ſcientia comparáda: quamobrem & diuina Oratori futuro tenenda : & nõ ignoranda humana: & ius cognoſcendũ ciuile:& quæ ab hiſtoricis, poetis,philoſophis literarum ſunt monumentis conſignata : modo,ordine,iudicio bono percipiẽda : in locos redigenda communes : uſurpanda & oratione tractanda, explicanda, exornanda. Quartum,imitationis,opinor, rectè rationem complectetur : vt Eloquentiæ ſeſe ſtudio dedere qui cupiunt, ad imitandum certos quoſdam in dicendo ſcribendoque ſibi proponant.

Methodi caput 4. de μιμήσ, imitatione.

Quod enim princeps ille philoſophorum Plato conſilium dat iis, qui ad Rerumpublicarum aliquádo ſedere gubernacula volunt: vt ſtatim & à teneris (quod aiunt) vnguiculis ad bonorum ſeſe imitationem aſſuefaciant: quod in naturam eadem abire tandem ſolet : idem Oratori futuro tenendum eſt : vt mentem ſtylumque ſuum ad optimi

Imitationis vtilitas.

cuiuſque exemplum conformet: atq; ita nec anxius nimis ſit & ſolicitus in ſcribendo, nec etiam remiſſus ac negligens. Ergo plurimùm hac in re quia ſitum: paucis Eloquentiæ Studioſis indicare conabor: cur imitatio, quibus in authoribus & rebus, quo ordine, iudicio, modo inſtituenda: vt voluptas excitetur: tollatur faſtidium: ſeruitus vitetur: libertas retineatur: furti & mendicitatis omnis abſit ſuſpicio. Quintum & poſtremum caput ſcribendi docendique exercitatione abſoluetur: quæ veluti anima eſt ſtudiorum: ideoq; crebrò adhibenda: intermittenda nunq̃. Oſtendendum igitur poſtremo hoc in capite erit: quibus de cauſis ſtyli exercitatio inſtituēda: cur difficilis eadem: difficultas illa quomodo ſuperanda, quæ ad tractandum materia deligenda: quæ loci in ea temporiſque ratio habenda: quis ordo tenendus: quæ in ſcriptorum cùm noſtrorum, tùm aliorum emendatio ac cenſura adhibenda: quo pacto ſcripta iam & correcta memoriæ mandanda: aptè quoque & commodè proferenda. De his igitur omnibus deinceps (Deo Opt. Max. conatus qualeſcunque hoſce noſtros iuuante) agere conſtitui: ſed, vt in conditionibus habetur, quantum potero. Operam quoque daturus ſum ſedulò: vt in campis ac planicie, hoc eſt, locis facilioribus, itineribus magnis vobiſcum proficiſcar, multaque vno tempore ſpacia conficiam: vbi verò montes, aut ſaxa,

Methodi caput 5. de exercitatione ſtyli.

xa, aut impedimenta alia ſeſe obtulerint, ne quis impingat, paulò tardiùs progrediar.

Ad Eloquentiæ ſtudia qui apti aut inepti: cur & quomodo conſiderandum.

CAP. III.

AD Eloquentiam comparandam quinque potiſsimũ requiri ſuperiore proximo loco oſtendi: reſtat ſingula ordine vt perſequar: & hoc quidem in capite, quinam ad Eloquẽtiæ ſtudia apti ſint, aut inepti, doceam. Etenim cùm, vt Homerus ait,

Οὕτω γὰρ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσιν
Ἀνδράσιν· οὔτε φυὴν, οὔτ' ἄρ φρένας, οὔτ' ἀγορητύν.

Et τέχναι, vt Pindarus inquit, ἑτέρων ſunt ἕτεραι
Χρὴ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς
Στείχοντα, μάρνασθαι φυᾷ.

Ante omnia ingenij eſt ac naturæ ratio habenda: ne quod effici non poteſt, tentemus: aut malè atq; infeliciter tractemus, quod eoa ſtè & inuita, quod aiunt, Minerua ſuſceptum eſt. Maximè verò in eloquentiæ hoc ſtudiis vtile eſt ac neceſſarium: vt nos ipſos diligenter exploremus: propterea quòd multa in Oratore futuro requirũtur, quæ ab aliis non exiguntur: à natura quoque ſola conceduntur non vel arte parari. vel alia acquiri ratione poſſunt. Atq; hîc quidẽ Libanio opus eſſet, quẽ in dignoſcendis auditorum ingeniis,

Naturæ & ingenij exploratio cur neceſſaria in eloquentiæ ſtudio.

eſſet, quem in dignoſcendis auditorum ingeniis, Conſtantinopoli cùm doceret, mirum extitiſſe artificem legimus. Veruntamen vt rectè, prudenter, feliciter, ingeniorum animaduerſio, & quædam quaſi cenſura inſtituatur, hoc primum neceſſarium eſſe exiſtimo: vt in conſilium non nos ipſos, ſed alios adhibeamus. Propter enim & ætatis infirmitatem, & iudicij imbecillitatem, & φιλαυτίαν nemo de ſeſe ipſe rectè iudicare poteſt. Deinde in his ipſis, quorum vti conſiliis volumus, conſiderandum: virine ſint boni, & aliorum prouehere ſtudia cupiant: amore an odio nos noſtroſque proſequantur: rectè aut perperam illud quo de conſultatio inſtituitur, intelligant. Tum, quæ Oratori futuro ſint neceſſaria, & à ſola natura petenda, ſpectandum. Iſocrates cùm quidam ei parens filium adduceret, quæreretque: quibuſnam potiſſimùm ille rebus opus habiturus eſſet: γραφίδος καὶ νοῦ, penna ac mente, reſpondit. Pythagoras diſcipulorum ſuorum exploraturus ingenia, numeros illis proponebat: propterea quòd nihil mentis ingeniique declarare aciem magis, quàm calculorum ſubductio ſolet. At verò Oratoris futuri ita commodè explorari ingenium poſſe videtur: ſi quæ eidem ſint aliquando præſtanda, conſiderentur.

In ingeniorum animaduerſione & cenſura qui adhibendi.

In Oratore quæ requirantur.

Primùm ergo animi motus quidam celeres requiruntur, & ingenij acumen ac celeritas: vt & ſubitò inueniantur, atque excogitentur:

gitentur: & acutè, prudenter, ſubtiliter adhibeantur, quæ ad fidem faciendam ſunt accommodata, ac neceſſaria. Neque enim numerandæ ſunt, ſed ponderandæ ſententiæ. Atque hanc facultatem Alcibiadi Plutarchus tribuit: quem in inueniendo omnium fuiſſe acutiſsimum ſcribit. Verum non in inueniēdo ſolum ingenij acumine eſt & ſubtilitate opus: ſed hæc eadem etiam in collocatione requiritur: vt quæ inuentæ iam ſunt ſententiæ, aptè prudenterq; diſponantur. Hoc nomine Hortenſium Cicero & M. Antonium commendat: quorum ille partitiones atque collectiones primus in forum attulit: hic ea quæ inuenerat ſuo quæque loco, & vbi valere plurimum videbantur, collocare eſt ſolitus: non ſecus atque Imperatores bonos exercitum diſponere videmus. Præter verò ingenij in inueniendo atque collocando acumen & celeritatem etiam vbertas quędam ac quaſi fœcunditas eiuſdem neceſſaria eſt, propter λέξιν elocutionem: cuius munus atque officium acutè ſubtiliterque inuenta: aptè & prudenter diſpoſita, non nudè, ieiunè, aridè exponere: ſed verbis polire, ornare, amplificare. Hac de cauſa à Cicerone Cæſar laudatur: qui puritatis & latinitatis perquàm ſtudioſus extitit: ita quidem, vt ſi Eloquentiæ ſeſe dedere, inque foro cauſas agere voluiſſet; proximum à Cicerone obtinere locum potuiſſet. Quartò in natura bona & elo-

quentiam apta, memoria quoque requiri-tur: vt ea non ſit labilis: non fluxa: non va-cillans: ſed conſtans, firma, diuturna. Talis ſcilicet Cyneæ illius, oratoris Pyrrhi fuit: qui ſecundo curiam Romanam ingreſſus, Sena-tores atque Equites omnes ſuis nominibus compellauit. Et Iulij Cæſaris: quem ſimul & ſcribere, & audire alios, & ſeptenas ſæpe li-teras dictare ſolitum fuiſſe hiſtorici teſtan-tur. Ad hæc verò omnia etiam linguæ infle-xio facilis atque expedita: εὐφωνία, vocis gra-tia & ſuauitas: vultus denique ac corporis totius venuſta atq; elegans adiungenda con-formatio eſt. Dici enim ſatis nō poteſt, quan-tam hæc omnia ad vincendum atque perſua-dendum vim habeant. Vnde illud, opinor, poetæ:

Ille per extentum funem mihi poſſe videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falſis terroribus implet
Vt magus: & modò me Thebis, modò ponit Athe (*nis.*

Hac claruit laude Publ. Lentulus: commen-datus Q. fuit Catulus: admirationi Q. Hor-tenſius extitit: cuius ita ſuauem atque iucun dam pronunciationem: tam decentem ac ve-nuſtam fuiſſe actionem legimus: vt cauſas il-lo agente Æſopus, Roſcius, aliiq; hiſtriones aduolarent, foroque petitos in ſcenam refer-re geſtus conarentur.

Iam verò etiam alia quædam videnda e-runt; quibus naturæ atque ingenij æſtimari bonitas

bonitas ac præſtantia ſolet. Inter hæc autem principem obtinere locum laudis atque gloriæ videtur cupiditas. Is enim ad eloquentiæ ſtudia aptus eſt adoleſcens : quem laus excitat : quem gloria accendit & inflammat : cui calcar atque ſtimulum addit æmulatio : qui victum ſeſe dolet ac queritur. De Thucydide Suidas ſcribit, eum adhuc puerum, cùm Herodotum fortè hiſtorias recitantem audiuiſſet, gloriæ ſtimulis concitatũ lachrymas continere nõ potuiſſe : iis quoque motum Herodotum illud Oloro parenti inſuſurraſſe: ὀργᾷ ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ σοῦ πρὸς τὰ μαθήματα. Sed & metus ac timiditas indolis bonæ ſignũ eſt. Quod enim citò fit: etiam perire citò ſolet. Et plerunque in via conſiſtunt : qui currendo anteuertere alios quàm ſequi malunt. Itaque etiam timorem ac pudorem honeſtum in Oratore Cicero requirit: & in orationum ſuarum veſtibulis profiteri minimè dubitat. Bona ergo natura hiſce potiſsimùm erit notis æſtimanda: & ad eloquentiæ ſtudia apti atque idonei illi iudicandi: qui ingenij acumine ac ſubtilitate ſunt præditi: qui memoria valent: qui lingua expedita ac ſoluta vtuntur : qui vocem ſuauem, mollem, claram habent: qui denique ita ſunt animati, vt laudari velint: pudorẽ tamen honeſtum interim non abiiciant.

Indolis præclara ſignũ laudis & gloriæ cupiditas.

Timor & pudor verecundus laudatur.

Neque verò cùm (vt Ariſtoteli placet) contrariorum eadem ſit doctrina ac perceptio, difficulter ex iis, quæ de ingeniis præclaris

Ad eloquentiæ ſtudium qui inepti.

modò ſunt dicta, quinam ad Eloquentiam minus ſint apti atq; idonei, intelligi poteſt. Etenim cùm naturæ bonę ac præclaræ indolis ſigna ſint & notæ: acumen & celeritas ad inueniendum: ad explicãdum vbertas ac copia: ad retinendum memoria firma: lingua ſoluta atq; expedita: vbi bona hæc nõ reperiuntur: feliciter vtiliterq; hoc in ſtudij genere effici nihil poſſe certum eſt. Itaque vt inepti ad Eloquentiæ ſtudia reiiciendi erunt: primùm in quibus ingenij ad inueniendum atq; iudicandum hebetudo: tenuitas, exilitas, & quaſi quædam ſterilitas ad explicandũ ac eloquendum. Deinde qui memoriam aut fluxam atque labilem: aut nullam prorſus habent: cuiuſmodi Meſſalæ Coruini extitit, quẽ etiam nominis proprij oblitũ fuiſſe memoriæ proditum eſt. Tum qui ita lingua ſunt hæſitantes: voce abſoni atq; abſurdi: vt in oratorum eſſe numero nullo modo queant. Huc accedunt & alia, quæ naturam minimè boná indicant: vt eſt primò *κακοζηλία* ſtulta, atq; inepta imitatio rerum vitioſarum: quæ nõ ſpem aliquam indolis dant bonæ: ſed ſtultam produnt ſuperbiam. Ita Platonis gibbum, & Ariſtotelis quidam balbutiem imitati, egregios ſeſe Philoſophos eſſe ſunt opinati. Et Fuſius ille, cuius lib. de Oratore 2. mentionem facit, non niſi oris quandam prauitatem in Fimbria imitabatur. Alterum audacia & confidentia eſt. Quemadmodum enim arbores præcoces

Κακοζηλία.

Audacia & confidentia.

præcoces, quæ in ramorum ſeſe brachia ſpargunt: aut lata folia diffundunt, fructus magnos atque copioſos non proferunt: ita ad frugem, quod aiunt, bonam, & Eloquentiam veram rarò perueniunt, qui nimium ſibi confidunt. Tertium laboris eſt fuga: ſtudium aut nullum, aut perexiguum: animi mollities & voluptas, quæ vt aliis omnibus ſtudiis, ita & Eloquentiæ plurimùm obeſſe ſolet. Inepti ergo ſunt ad Eloquentiam ij, qui à natura bonis tum animi, tum corporis deſtituti, maximè ſi ad illam ἀδυναμίαν animi quoque mollities, amor voluptatum, negligentia, audacia, atque confidentia accedant.

Iam verò quia non in extremis ſolum eſt conſiſtendum: verùm etiam mediocritatis ratio habenda: quinam ſint mediocres, & ad Eloquentiæ ſtudia admittendi, vt oſtendatur neceſſe eſt. Mediocres igitur ſunt, quibus ingenij ad inueniendum & iudicãdum acumen non magnum: vbertas & fœcunditas minimè bona: nec tamen prorſus arida atque ſterilis: memoria non feliciſsima: at non interim nulla obtigit: ſed quæ excitari, confirmari, reddi melior poteſt. Cætera deinde bona, quæ in excellentibus deprehenduntur naturis, non omnia, ſed quædam ſaltem: non perfecta & ſumma, ſed mediocria adſunt. Poſtremò in quibus vitia nonnulla: verùm aliis compenſata virtutibus & naturæ bonis reperiuntur. Talis ſcilicet Curio fuit: *Mediocria ingenia.*

tardus in inueniendo: in collocando diſsipatus: memoria ita labili: vt aliquoties tria cùm propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut quæreret tertium: orator interim habitus propter verborum bonitatem. Et C. Macer in inueniendo acutus: in geſtu verò atque actione ridiculus. Et Antonius in collocando egregius: ſed latinitatis laude minimè clarus.

Quo tempore naturæ atque ingenij inſtituenda exploratio.

Quòd ſi verò poſtremo loco etiam de tempore quæratur, quo futuri Oratoris ingenium explorandum, propter naturarum varietatem & diuerſitatem, non prompta hîc & expedita, ſed difficilis admodum eſt reſponſio. Sunt enim quidam, qui ſpe ſui præclara primùm doctos ac prudentes implent: paulò verò pòſt adultiores facti, eandem turpiter fallunt. Sunt deinde qui primæ ætatis tarditatem diligentia atque ſtudio compenſant. Et dignum memoria eſt, quod de dicendi magiſtro acutiſsimo Hermogene hiſtorici ſcribunt: eum anno ætatis decimo octauo opus illud rhetoricum longè vtiliſsimum confeciſſe: viceſimo verò octauo mente captum, omnium oblitum eſſe. Vnde illud de eo ortum: ἑρμογένης ἐν παισὶ γέρων, ἐν δὲ γηράσκουσι παῖς. Veruntamen placere doctis videtur: vt ætatis anno vigeſimo, aut non multò antè, exploratio inſtituatur: quòd eo maximè tempore, quæ ingeniorum facultates, affectiones animorum, corporis ſint vires, deprehenditur: alia etiam ſeſe oſtendunt, quæ in

Oratore

Oratore futuro obſeruanda eſſe, pauló antè docui.

Ingenia præclara quibus modis ad Eloquentiæ ſtudia excitanda, cuſtodienda, excolenda: tractanda mediocria, vt ad frugem perueniant: inepta repudianda.

CAP. IIII.

QVOT eorum qui ad Eloquentiæ ſeſe ſtudia conferunt genera: cur, & quibus illa modis exploranda, oſtendere conatus ſum. Hoc in capite, vt indoles ac natura præclara excitanda, cuſtodienda, excolenda: emendanda, corrigenda, confirmanda mediocris: vitioſa repudianda prorſus, planũ faciam. Neq; enim eorum ego approbandam ſententiam eſſe exiſtimo: qui Eloquentiæ ſtudioſorum frangere animos: ardorẽ extinguere: retardare conatus: ſpem tollere omnem naturæ aliquo defectu obiecto, minimè dubitant. Neq; vt præclarè Plutarchus monet, tam eſt conſiderandũ: quantum natura egregia, & ad dicendum apta atque idonea valeat: quàm quo illa ſtudio excolatur, efficiaturq;, vt ſi nõ in primis, ſaltem ſecundis aut tertiis conſiſtat.

Ad primum ergo genus, eorum ſcilicet, qui præcellẽtibus ſunt, & eximiis præditi in-

geniis, quod attinet: tria omnino conſideran da eſſe videntur. Primùm quonam pacto ad capeſſenda Eloquentiæ ſtudia illi ſint ſuſcitandi, atque inflammandi. Deinde quomodo iidem ne pereant, ſed ad frugem perueniant bonam, cuſtodiendi. Poſtremò, qua arte atque induſtria ingenia illorum excolenda, augenda, exornandà. Ad eloquentiæ igitur ſtudium ingenia præclara vt ſuſcitentur, amore primò opus eſt & cupiditate, & admiratione dicendi facultatis. Neque enim quicquam reperitur, quod adoleſcentum bonorum magis curſum retardet, quàm præpropera ad altiora ſtudia feſtinatio, ex deprauato atq; corrupto imperitorum iudicio, exemplis eorum, qui doctrinæ quandam opinionem habent: ambitione denique aut auaritia orta. Sunt enim à natura auidi laudis, gloriæ cupidi adoleſcentes: aliorum etiam exemplis & authoritate magis mouentur, quàm rationibus atque argumentis ducuntur. Vt ergo ad eloquentiæ tractanda ſtudia indolis præclaræ adoleſcentes excitentur, amore primùm opus eſt, & admiratione Eloquentiæ.

Ad eloquentiæ ſtudia quo pacto ingenia præclara ſuſcitãda.

Itaque laudanda primò Eloquentia ipſa veris atque propriis generis ſui laudibus erit. Oſtendendum, quod lib. dé Inuentione primo Cicero facit, hinc ad Rempublicam pluſrima commoda venire: hinc ad ipſos qui eam adepti ſunt, laudem, honorem, dignitatẽ confluere: hinc certiſsimum atque tutiſsimum præſi-

Laus & commendatio eloquentiæ.

præſidium parari: hinc non ſolùm animalibus brutis: ſed ipſis hominibus homines antecellere. Conſiderandum quod Socrates apud Xenophontem affirmat: μόνους ἀξίους δὲ τιμῆς εἶναι τοὺς εἰδότας τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεῦσαι δυναμένους. Proferenda & alia quæ de eloquentiæ laudibus apud Ariſtotelem lib. Rhet. 1. cap. 6. Ciceronem libro de Oratore 1. & 2. & in Prooemio lib. de Inuentione: Quintilianum lib. Inſtit. Oratoriarum ſecundo, capite 17. & alios reperiuntur; neque parum ingenia præclara erigunt, incendunt, inflammant. Excitauit hoc Ciceronem: qui cùm ad Poetica ſtudia aptus eſſet: carmina etiam benè multa iam ſcripſiſſet: tamẽ vbi Eloquentiam viam quaſi compẽdioſam ad gloriam eſſe intellexit: eius ſeſe ſtudio totum dedidit: & non Romæ ſolùm: verùm etiam in Aſia: & dicendi Magiſtros audiuit: & declamando ſeſe exercuit aſſiduò. Demoſthenes quoq; ſumma eiuſdem cùm dignitate, tùm vtilitate motus, ita illi ſeſe tradidit: vt nec valetudinis: nec rei familiaris: nec aliorum curam vllam gereret.

Laus & commẽdatio perſona.

Alter modus ad Eloquentiæ capeſſenda ſtudia ingenia præclara excitandi in laude & commendatione non ipſius rei, Eloquentiæ ſcilicet, ſed perſonæ conſiſtit. Ariſtoteles libro Rhetoricorum ſecundo adoleſcentiam gloriæ ſtudio duci: non pecuniæ trahi cupiditate affirmat. Quintilianus etiam diſcipulos ſibi tradi ambitioſos cupit: propterea

quod diligentiæ mater: virtutum præclarorum altrix atq; nutrix laudis eſſe cupiditas ſolet. Laude ergo, non reprehenſione: non pœnis, ſed præmiis præclara ſunt ingenia excitanda. Quemadmodum enim aſino animali ignauo, ſeruili, abiecto, verbera & fuſtes adhibere cogimur: equos contrà generoſos acclamationibus & laude excitamus: ita erectis q. ſunt excelſisque ingeniis præditi, nulla re magis atque parentum, præceptorum, magiſtratus laude accenduntur: vt præclarum quid & arduum ſuſcipiant. Addidit hæc Ciceroni adhuc puero ſtimulum: cùm condiſcipulis admirationi eſſet, & ab iiſdem honoris quaſi cauſa domum è Schola deduceretur: parentum verò in ſeſe ora oculosq; conuerteret. Et Demoſthenem ſuſurro delectatum fuiſſe legimus aquam ferentis mulierculæ, inſuſurrantisque alteri: hic eſt ille Demoſthenes: illicò etiam ſeſe erexiſſe: vt etiam ab aliis conſpici poſſet.

Æmulatio. Tertius modus ad Eloquentiam alios excitandi in æmulatione eſt poſitus; quæ maximè adoleſcentum conatus in ſtudiis præclaros promouere atque prouehere ſolet. Ariſtotelem ferunt interrogatum, quonam modo egregiè diſcipuli proficerent, reſpondiſſe: ſi equiſones imitarentur bonos, qui cum generoſis equis ignauos coniungere ſolent: vt ſi vnà alantur, eorum exemplis ad labores excitentur. Et reuera nihil ad eloquentiam

compa-

comparandam vtilius eſt: quàm eorum ob oculos exempla conſtituere: qui eloquentię laude, aut clarent, aut claruerunt. Eiuſcemodi accenſus æmulatione Cicero fuit: q cùm (vt alios nunc ſilentio eiuſdem temporis oratores inuoluam) Hortenſium in foro dominari: pòſt verò aliquid de ſuo ſtudio remittere videret: ita ad Eloquétiam animum intendere cœpit: vt Hortenſij facilè poſt luminibus obſtrueret. Et Demoſthenem non parùm hæc eadem inflammauit æmulatio: cum ſtudiorum ſocios Æſionem Athenienſem, & Theopompum Chium: συγχρόνους oratores haberet præclaros: Hiperidem, Æſchinem, Dynarchum, Phocionem: maximè verò Calliſtratum ob benè feliciterquè Oropiorum actam cauſam, ab omnibus laudari, & honorificè domum deduci animaduerteret.

His ergo tribus, opinor, modis: rei ipſius laude: commendatione perſonæ: clarorum & charorum æmulatione, præclara ingenia excitari poterunt: vt eloquentiæ ſibi curæ cordique eſſe ſtudia patiantur. Quoniam verò non minor (vt ille ait) eſt virtus, quàm quærere, parta tueri: id reſtare nunc videtur: vt quo pacto explorata iam excitataque natura conſeruanda ſit & confirmanda oſtendam. Qua quidem in re medicorum extant præcepta: de aere: vt clarus ille ſit, non turbidus, corruptus, fœtidus, ventoſus, q mentis *Quà ratione explorata ingenia conſeruāda & cōſeruanda.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ac ingenij hebetare aciem ſolet. De ſomno, quem æqualem illi vigiliis, non tempore, ſed effectu eſſe volunt. De motu, quem ante, non poſt cibum, eumque moderatum requirunt. Neque contemnenda hæc ſunt à viris optimis doctiſsimiſque doctè & vtiliter tradita. *Temperãtia.* Sed primas tenere partes temperantia videtur: quæ ingenij & naturæ bonæ cuſtos eſt & conſeruatrix. Neq; enim fieri poteſt, vt mentis ſarta tecta vis maneat: res, & feliciter apprehendantur: & diiudicentur rectè: & firmiter retineantur: ſi intemperantia, libidinibus, voluptatibus mens labefactata: ſuo moti loco ſenſus fuerint. Adhibuit hanc naturæ indoliſque præclaræ quaſi cuſtodiam Demoſthenes, quem ad aquam non ſolùm dicere, verùm etiam ſcribere ſolitum fuiſſe, Demades affirmauit. Non eandem Cicero neglexit: quem rarò Solis ante obitum accubuiſſe: valetudinis quoque diligentem habuiſſe rationem legimus.

Morum probitas. Atque hic quidem primus conſeruandæ indolis bonæ; & ad Eloquentiæ ſtudia accommodatæ modus eſt: in temperantia moderatoque rerum vſu poſitus. Alter, qui ſubſequitur, ad vitæ atq; morum rationem pertinet. Μεγάλαι φύσεις, inquit Plato μεγάλας κακίας ἐκφέρουσι. Et vt quò quæque melior eſt ac fertilior terra, eò facilius herbulis quibuſdam noxiis, limoque multo obducitur: ita plerunque ingenia præclara minimè vulgaribus

laborare

laborare vitiis ſolent. Itaque præceptis ſalutaribus illa ſunt imbuenda: ne neglecta, rebus cùm ſuis, tùm alienis noceát. Plurimùm enim armata obeſt improbitas: χαλεπώτατον ἀδικία ὅπλα ἔχουσα. Grachorum præterea, aliorumque non paucorum abundè exempla teſtantur: nihil pernicioſius natura eſſe egregia, indoleque præclara, ſi inſtructa illa ab Eloquentia: à morum verò probitate minimè parata, omniſque expers virtutis ac honeſtatis extiterit.

Tertium cuſtodiæ munus in diſcendi via atque ratione commoda conſiſtit. Etenim qui erectis excelſiſque ſunt ingeniis præditi: dum ſubitò vnoq; tempore multa, imò omnia diſcendo aſſequi conantur: tumultuaria variaq; lectione ingenij aciem hebetant: memoriam obtundunt: nec ad ſolidam vnquam eruditionem atque doctrinam perueniunt. Itaque ſequi hac in re Eloquentiæ Studioſos Naturam omnium prudétiſsimam oportet, quæ nec ſimul omnia: nec vno eodemque in loco cuncta producit: ſed ſuo quæque loco, modo, tempore ſeorſim ac ſeparatim profert: atq; ita inſtituere ſtudia; vt indigeſta eorum quæ diſcenda multitudo, varietas, diuerſitas, ingenium præclarum nó aut obruat, aut deforme quaſi, monſtroſumque reddat. *Methodus.*

Atque hæc de indole præclara cuſtodienda & conſeruanda breuiter ſint dicta: reſtat, vt quonam pacto excolenda eadem, oſtenda- *Quómodo p̃clara ingenia excolẽda.*

tur. Latet enim quaſi conſopita ſomnoque oppreſſa natura: ideoq; diligentia, arte, exercitatione aſsidua eſt excitanda. Habenas ſæpe laxat: ac propterea coercenda doctrina & induſtria. Non rarò φιλαυτίᾳ quadam à propoſito ſcopo aberrat, ac reuocanda eſt. Aliquando quæ meliora fieri arte poterant & cultura adhibita, eadem neglecta minus commodè profert. Præclara indole præditus Piſo fuit: laudem eadem de cauſa minimè contemnendam M. Glabrio habuit. At vterque quia laborem fugit: quia exercitationem intermiſit: quia à natura conceſſum bonum non aluit: ad gloriam peruenire magnam non potuit. Et ſanè quantum naturam bonam ars iuuet atque exercitatio: vel ex duabus illis officij oratorij partibus, Inuentione ſcilicet, & Elocutione facilè deprehenditur. Quemadmodum enim agri fertiles: & ſegetes vberes atque fœcundæ non fruges ſolùm emittunt: verùm etiam lolium, carduos, lappas, aliaſque frugibus inimicisſimas herbas producunt: ita & ingenia præclara, ſi negligantur: ſi nimium ſibi ipſis confidant: non aliorum ſibi ob oculos exempla conſtituant, aut ad artis reſpiciant formam: inuenire quidem non pauca: ſed leuia, nugatoria, ſæpe quoque pernicioſa ſolent. Eadem etiam in explicando vbertatis & fœcunditatis ingenij cultura requiritur. Eſt indolis præclaræ ſignum, verborum copia & exuperantia: ora-

toria

ſoris futuri ſtylus luxurians atque redundans magis, quàm ſterilis, aridus, exanguis dicendi magiſtris placet. Verùm amputatione hîc eſt opus: opus eſt arte: exercitatione eſt opus: vt, quemadmodum in vitibus atque arborib⁹ ſuperflua reſecari videmus: ita ſcienter, moderatè, commodè vbertate vtamur: parua ſubmiſſè; grauiter magna: temperatè mediocria proferamus. Exemplo nobis eſſe princeps oratorum Cicero poteſt: cuius primis annis notata verborum redundantia; dicendi animaduerſa licentia quædam iuuenilis: Aſiaticum & deprehenſum & reprehenſum orationis genus: pòſt verò emendatum atque correctum feliciter fuit.

Mediocribus etiam ingenijs in eloquentiæ ſtudio locus.

Et hæc quidem ad præclarorum ingeniorum culturam pertinent: ſequitur de mediocribus vt agamus. Non enim ſpes omnis infringi: non langueſcere induſtria: non conatus retardari eorum debet, in quibus quæ præclara, excellentia, eximia in aliis, mediocria reperiuntur: ingenium, memoria, linguæ ſolutio, laterum firmitudo, & quæ huius ſunt generis alia. Principes Philoſophorum extiterũt Plato & Ariſtoteles, ſed etiam alij his inferiores ſua laude nõ caruerunt. Homeri & Marones omnes eſſe poetæ nequeũt; at non interim parum & delectant, & proſunt. Inter Oratores veluti lumina quædam coruſcant Cicero & Demoſthenes: attamen hic eorundem ſplendor minimè deterruit

alios, quò minùs eloquentiæ operam darent.

Oratoris q̃dam quaſi idea & perfectio quærenda.

Sit ergo commẽdatum nobis græcum illud, ἄκρον λάβε: καὶ μέσον ἕξεις. Ciceronis in Oratore perfecto conſilium ſequamur, qui monet: vt ad ſumma ſemper contendamus: ſin verò nos fortè aut natura noſtra, aut præſtantis ingenij vis defecerit: eum quem poſſumus curſum teneamus, primaq; ſequendo etiam in ſecundis & tertiis conſiſtere honeſtum atque laudabile ducamus. Curſores denique imitemur: q̃ dum in poſtremis hęrere erubeſcunt: primos verò curſu aut anteuertere aut aſſequi nequeunt: in eo ſunt occupati inter medios vt reperiantur. Ita Curioni, cum oratoriis virtutibus aliis careret, propter vnicam verborum elegantiam & copiam, locus inter illius temporis oratores datus eſt. Cæſarem etiam & Q. Varium aliquas in foro Romano partes obtinuiſſe legimus propter mediocritatem quandam atque actionem, qua ſeſe probabant.

Sit igitur in mediocris ingenij ac naturæ præceptis hoc primum: vt Oratoris quaſi quædam idea ob oculos conſtituatur: quæratur perfectio: non verò interim mediocritas negligatur, aut Eloquentiæ ſtudium omne abiiciatur: ſi quod fortè naturæ deſideratum bonum fuerit. Alterum erit: vt quæ ſunt in nobis mediocria, meliora reddantur induſtria, labore, inſtitutione: vitioſa limentur ac corrigantur doctrinæ conformatione, &

Mediocritatis emendatio vel confirmatio.

exerci-

exercitatione crebra atque aſsidua. Et quidem ad ingenij ac memoriæ vel emendationem, vel confirmationem quod attinet: tradita quædam à medicis eſſe noſtris ad acuendum ingenium, & confirmãdam memoriam accommodata: de quibus liberum ego cuique iudicium relinquo: cùm mei hoc tempore ſit inſtituti: ea ſaltem indicare, quæ in adoleſcentum eſſe cura, ſtudio, diligentia, induſtria poſita videntur. Primò ergo ad ingenij vim conſeruandam, atque acuendam valetudine commoda eſt opus: quæ temperantia in cibo & potu: voluptatum fuga: exercitatione moderata conſeruatur. Deinde μάθησις ars & diſciplina neceſſaria eſt. Verum enim illud eſt Empedoclis: ἡ μάθησις τὰς φρένας αὔξει. Eoque nomine felices meritò cenſendi ſunt ij: qui in vrbe aliqua celebri aut Academia audire viros doctos & prudentes poſſunt. Neque temerè Romanos adoleſcentulos ſuos ſenibus commendaſſe cenſendum eſt: quorum doctrina & colloquiis quotidianis acuerentur, & confirmarentur. Tum & μελέτη meditatio non parùm eandem ad rem ponderis momentique adferre ſolet, & cogitatio diligens atq; aſsidua, quæ ingeniorum veluti pabulum quoddam eſt. Philopemenem quendam Achæorum prætorem Plutarchus ſcribit: etiam procul metu hoſtis remoto ſolum iter facientem, ſitus atque formam locorum contemplari: aciem inſtruere ima-

ginariam ſolitum fuiſſe: eaq; re tantum effe-
ciſſe: vt inter Græciæ duces præcipuos lo-
cum minimè poſtremum obtineret. Eadem
& Eloquentiæ Studioſorum eſſe mens: idem
ſtudium debet: vt ſiue recreandi, atque rela-
xandi ſeſe gratia aliquot in campis ſpacia cô-
ficiant: ſiue neceſsitatis cauſa profectionem
inſtituant: quæ ſeſe offerunt, conſiderent &
contemplentur diligenter: qua ratione lau-
dandum illud, hoc vituperandum cogitent;
atque ita ingenij vim acuant, efficiantque, vt
ſi vel ex tempore ſubitoq; dicẽdum, in prom
ptu quæ neceſſaria, & ad rem accommodata,
habeant. Poſtremò hæc omnia ſtudio acri &
φιλοπονίᾳ complecti oportet. Vt enim ignauia
atque ſocordia ingenij vires hebeſcunt: ita &
cura ac diligẽtia adhibita confirmari eædem
acuique ſolent. Et ſi quid eſt, quo eos hodie
qui viuunt, ſuperarunt veteres: non mentis
acumen: non ingenij dexteritas: ſed diligen-
tia, ſed labor, ſed induſtria, ſed ſtudium ar-
dens, acre, intentum eſt. Demoſthenes (vt
Suidæ verbis vtar) ἐπιμελὴς μᾶλλον ἢ εὐφυὴς dili-
gentior quàm ingenioſior extitit. Confirma-
re hoc opinor illud videtur, quod nemo ei ex
tempore vt diceret perſuadere vnquam po-
tuit. Et tamen idem ſtudio atque diligentia
tantum eſt aſſecutus: vt principem inter O-
ratores Græcos locum obtineret.

Memoria vt excolenda. Iam verò ad memoriã quod attinet: etiam
mediocris reddi melior primùm μελέτῃ medi-
tatione,

tatione, & auditorum partim: partim lecto-rum repetitione ſolet. Vnde Pythagoricum illud longè vtiliſsimum præceptum:

Nec prius in dulcem declinet lumina ſomnum:
Omnia quàm longi reputauerit acta diei.

Demoſthenes etiam cùm à ſeſe, tùm aliis dicta; & in medium allatas rationes veſperi repetere: mandare memoriæ: oratoriè tractare eſt ſolitus. Deinde ἄσκησις exercitatio crebra requiritur. Nihil enim ad excolendam confirmandamque memoriam vtilius, aut neceſſarium magis, quàm orationis aliquã partem, argumentationem, locum communem: aut ex hiſtoricis & poetis memoriæ aliquid mandare: & mandare quotidie: & ad verbum mandare. Vt enim res cunctæ aliæ vſu atque exercitatione meliores fiunt: ita & mediocris memoria eadem plurimùm iuuatur: illud quoque efficitur: vt non facilè ignoſcere nobis diſcamus.

Poſtremò actio etiam & pronunciatio nõ optima emendari atque corrigi exercitatione aliiſque rebus poteſt. Denegata Ciceroni à natura fuerunt non pauca ad Eloquentiam paranda neceſſaria. Gracilitas in eo fuit & infirmitas corporis: tenue & procerum collum: ſine remiſsione at varietate, vi vocis ſumma, totiusque corporis contentione dixit omnia. Itaq; medici & amici eũ hortati ſunt: vt Eloquentiæ ſtudia deſereret. At idẽ labore, induſtria, frictionibus, deambula-

Actionis emendatio

tionibus modicis, aliiſque exercitiis, naturæ impedimenta omnia ſuperauit. Demoſthenes quoque, vt Suidæ verbis vtamur, ἐπιμελὴς μᾶλλον ἢ εὐφυὴς diligentior quàm ingenioſior extitit. vocis exilitate: linguæ hæſitantia: ſpiritus anguſtia: laterum infirmitate laborauit: artis ſuæ primam proferre literam non potuit. Veruntamen ſtudio, diligentia atque exercitatione tantum effecit: vt optimè planiſsimeque pôſt diceret: recteque de eodem quidam ſcripſiſſe videatur: alterum Demoſthenem matrem: alterum induſtriam enixam eſſe. Hanc deinde ad rem inſtitutione, & conformatione eſt opus: vt magiſtri ſcilicet adhibeantur: qui in iis excellunt, quæ deeſſe nobis videntur. Hinc Roſcio Comœdo, & Tragœdo Æſopo vſus eſt Cicero: Demoſthenes Satyro hiſtrioni formandum ſeſe tradidit: & vt actionem componeret, geſtúſque conformaret, ad ſpeculum orationes recitauit. Et ſi verum fateri volumus: nihil hoc nobis tempore obſtat magis: quàm quòd aliorum vti inſtitutione: & dicētes audire recuſamus: cûm nemo tam ſit orator ineptus: quin aliquid ab eo diſcere poſsimus. Aliud Ciceronis inſtitutum fuit: qui vno eodemq; tempore, Antonium, Cottam, aliosque oratores audiuit: in quibus omnibus præclara quædam laudeque digna: nonnulla mediocria, & ferenda: non pauca vitioſa ac reprehendenda fuerunt.

His

His ergo (vt mea fert opinio) modis ingenia mediocria excolenda, atq; acuenda: confirmanda memoria: actio deniqùe & pronunciatio ita inſtituenda: vt ſi non laudem magnam, ſaltem locum qualemcunque apud auditores inueniat.

Reliquum tertium & poſtremum hominum eſt genus, eorum ſcilicet, qui nec ab ingenij acumine, celeritate, vbertate, fœcunditate: nec firmitudine memoriæ: nec linguæ ſolutione, aut aliis ſunt rebus inſtructi & parati, quæ ad Eloquentiam neceſſariò requiri & ſolent, & debent. In quibus non audire parentes, qui nimium liberos interdum amant: non diſcipulorum ſpectare copiam atque multitudinem: non lucellum aut quæſticulum propoſitum habere: ſed eorum, qui fidei ſunt noſtræ crediti & commiſsi, vtilitatem conſiderare oportet. Itaque Apollonius ille Rhetor placet: qui, licet mercede doceret diſcipulos, ad Eloquentiam tamen ineptos prorſus, non admittebat: ſed eas ad artes ablegabat: ad quas apti maximè & idonei eſſe videbantur. Qui enim quaſi nouerca, non matre natura vtuntur: qui ea, quæ natura largitur ſola præſtare nequeunt: qui vitioſè ineptéque faciunt omnia: ad quaſuis alias artes faciliùs quàm Eloquentiam admitti poſſunt. Etenim aliis in artibus ſatis eſſe videtur: ſi quis partem ſolùm aliquam mentis habeat: vt quæ traduntur percipere: percepta me-

Vitioſa et inepta ingenia cur ab eloquentiæ ſtudio reÿcienda.

moriæ mandare queat: non linguæ ſpectatur ſolutio: non verborum elegantia, ſplendor, copia requiritur: non linguæ celeritas deſideratur: nõ actio poſtulatur apta & commoda. In oratore verò hæc omnia flagitantur: & vel doctiſsimus exploditur orator: ſi parum in iis felix extiterit.

De arte & præceptis dicendi doctrinæ cur, & quibus illa ex authoribus diſcenda.

CAP. V.

HACTENVS de ingeniis dictum oratoriis: & quibus illa modis explorandа: explorata excitáda, confirmanda, acuenda, reiicienda, atque repudianda inepta prorſus oſtéſum eſt. Sequitur de ſecundo inſtitutæ Methodi capite, arte ſcilicet & præceptis vt agatur. Vt enim in nuda præceptorum cognitione, & doctrinæ quadam conformatione poſitam eſſe Eloquentiam minimè exiſtimádum eſt: ita nec contemnenda hæc eadem eſt prorſus atque negligenda: cùm illa veluti intra cancellos ac limites natura contineatur præclara: mediocris acuatur, limetur, ad frugem bonam perducatur: ea denique, quæ in oratoris ſunt munere atque officio poſita, citius, facilius, rectius, felicius fiant omnia. Neque verò huic obſtare poteſt: quòd cùm oratio-

Artis vtilitas.

nes ſuas ſcripſerunt oratores: de artis præceptis minimè cogitaſſe videntur. Nam & Muſici etiam ſine ſingulorum modorum obſeruatione ſcitè modulantur: & nō eadem, quā in ſcholis pueri ratione, carmina poetæ ſcribunt: nec quia illa, quæ de ritè iungēdis ſyllabis ſunt à Grammaticis tradita præcepta non repetimus: iccircò minus rectè & grammaticè legimus.

De arte ergo dicendi hoc agendum in capite, oſtendendumque erit, quibúſnam illa potiſsimùm ex authoribus petenda atque diſcenda ſit. Eſt enim iudicio hîc magno opus: propter peruerſum, deprauatum, pernicioſum quorundam inſtitutum. Etenim reperiuntur nonnulli, qui dicendi præcepta nō quidem negligunt: ſed ex compendiolis, & riuulis quàm fontibus haurire malunt. Quidam non optimos, ſed peſsimos ſcriptores legunt: de quibus illud commodè vſurpari poſſe videtur, quod de Stoicis Cicero ſcribit: cognoſcenda eorum præcepta eſſe, ſi quis, nō dicere, ſed obmuteſcere cupiat. Non ſanè inutile hoc eſſe videtur: vt, quod aliis in artibus fieri videmus, Eloquentiæ Studioſi ſumma quædam capita certa methodo in compendium contracta habeant. Compendia enim tyrones quaſi viæ ignaros manu ducunt: ne rudis quis ſit & ignarus prorſus artis efficiūt: memoriam iuuant plurimùm: ad diſcendum denique adoleſcentes excitāt.

In arte cōgnoſcēda iudicio opus.

Compendiorū vtilitas.

Quemadmodū enim mercatores per tranſen nam videmus quædam ſpectáda prætereuntibus proponere, vt eos alliciant: cùm longè interim meliora atque precioſiora recondita habeant: Ita præceptores fideles ac induſtrij in compendiis breuiter & ſuccinctè artis alicuius proponere præcepta ſolent: non eum in finem, vt à fontibus diſcipulos abducant: ſed ad eoſdem legendos potius excitent, ac inflamment. Verùm hîc etiam atque etiam cauendum eſt: ne diſpendia illa compendia fiant: hæcque tria obſeruanda. Primùm, vt in magna multitudine & varietate compendiorum vnum aliquod deligatur ac retineatur: prætereantur alia. Nihil enim eſt quod magis hominis ingenium atque memoriam perturbet: quàm authorum multitudo, varietas, diuerſitas. Deinde quia in varietate & copia difficilis admodum eſſe delectus ſolet: illa reliquis ſunt compendia anteponenda: quæ à fontibus ipſis quàm proximè abſunt: ſententiis & præceptis, verbis, docendi via ac ratione. Tum vt non contenti illis ſimus, ſed ſolidam doctrinam ex ipſis fontibus hauriamus neceſſe eſt. Etenim qui ſolis compendiis contenti, fontes ipſos negligunt: nec plenam ſibi cognitionem vnquam comparant: nec ea quæ neceſsitas flagitat, præſtare poſſunt. Denique (quod peſsimum & pernicioſiſsimum eſt) inanem magnæ ſcientiæ perſuaſionem induunt. Hinc Cicero Rhetoricam

In compendiis quæ obſeruanda.

tradens

tradens compendium in Partitionibus oratoriis, hæc tibi, inquit, quę expoſui, ſint quaſi indicia fontium illorum, ad quos ſi nobis ducibus aliiſue perueneris, hæc melius, & multò maiora alia cognoſces. Quam ergo in erudiendo filio ſuo viam ac rationem eſt Cicero ſecutus: eam nos quoq; ſequemur: & vnum aliquod compendium, non multa legemus: deligemus id, quod ad fontes ipſos proximè accedere videtur: eo denique non contenti, plura, maiora, meliora ex ipſis fontibus hauriemus.

Et ſanè ſi compendium aliquod Rhetoricæ quærimus: non equidem doctiſsimorum virorum labores improbo: non ſtudium & diligentiam contemno: non parui eruditionem atque doctrinam facio: non ſcripta præclara de Studioſorum manibus excutienda atque remouenda eſſe cenſeo. At interim ita iſta legi velim: ne aureolæ illæ partitiones oratoriæ negligantur: in quibus quæ de oratoris vi, oratione & quæſtione fuſè ſunt ac enodatè ab aliis dicendi magiſtris tradita, dilucidè atque perſpicuè Cicero propoſuit, idque poetæ obſeruauit: *Partitiones oratoriæ Ciceronis.*

Quicquid præcipies, eſto breuis: vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

A partitionibus igitur oratoriis initium ſumendum eſſe in dicendi præceptis Ciceronianis arbitror. Sed his non contenti, ad fontes ipſos accedendum, & quibúſnam ex

authoribus, quę ſint petenda ac notáda præcepta, oſtendēdum erit: initio ſumpto ab Ariſtotele: de cuius libris tribus Rhetoricis quid ſit ſentiendum, Cicero libro de Inuentione ſecundo oſtendit. Veteres quidem, inquit, artis ſcriptores vſque à principe illo atque inuentore Tiſia repetitos, vnum in locum conduxit Ariſtoteles, & nominatim cuiuſque præcepta magna conquiſita cura perſpicuè conſcripſit, atque enodata diligenter expoſuit: ac tantum inuentoribus ipſis ſuauitate & breuitate dicendi præſtitit: vt nemo illorum præcepta ex ipſorum libris cognoſcat: ſed omnes qui, quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc, quaſi ad quendam multò commodiorem explicatorem, reuertantur. Hæc ille. Ex quibus facilè quo ſint habenda loco Ariſtotelis Rhetorica præcepta, intelligitur. Et ſanè cùm tria ſint quæ dicendi artem conſtituunt, ac in oratore neceſſariò requirũtur: vt primò ad docendum, delectandum, mouendum accommodata inueniat: deinde inuenta politè, compoſitè, ornatè, copioſè eloquatur: tum hæc eadem non ſolùm ordine, ſed etiam momento quodam atque iudicio diſpenſet ac diſponat: nihil horum eſt omnium, quod non plenè, perfectè, optimaque methodo ab Ariſtotele in tribus illis de arte dicendi libris traditum atque explicatum ſit. Primo ſiquidem in libro de iis quę ad fidem ſunt faciendam & docendum

Rhetorici libri Ariſtotelis.

cendum accommodata agit: & quibus ex locis argumenta atque ſententiæ eruendæ: ſiue in deliberationem aliquid cadat: ſiue exornari debeat: ſiue in iudicium veniat, planum facit. In ſecundo verò libro de animorum motu ac perturbatione: conciliandi etiam ratione ſecundum ætates, mores, fortunam copioſè & diligenter agit. In tertio denique & poſtremo elocutionis atque diſpoſitionis pręcepta tradit: omiſſa memoria, quę à natura potius datur, quàm arte paratur: breuiter etiam ac obiter quaſi pronunciationis præceptis indicatis. Hoc ergo ſingulare notatuque dignum in Ariſtotele: quòd eruditè & ſubtiliter artis dicendi præcepta tradit: quòd non ad docendum, verùm etiam mouendum atque delectandum accommodata copioſè perſequitur: quòd de oratoriæ orationis virtutibus præcipuis agit: quòd collocandi atque diſponendi ſingulis in orationis partibus rationem monſtrat. Accedit & illud, quòd niſi hiſce Ariſtotelicis præceptis cognitis, nemo Ciceronis ſcripta Rhetorica cum fructu vel ipſe legere, vel explicare aliis poteſt.

Ciceronis de Oratore dialogi tres.

Vt enim ad tres de Oratore ad Quintum fratrem ſcriptos dialogos accedam: ipſe Cicero in epiſtolis ad Atticum Ariſtotelico more eos eſſe confectos fatetur. Quod non de ratione ſolùm & conſuetudine illa Ariſtotelica in vtramq; partem diſputandi: verùm etiam

ipſis præceptis intelligendum eſſe videtur: quę collatione facta eadē ferè apud vtrumq; reperiuntur. Commēdati ergo tres illi dialogi oratorij nobis eſſe debēt primò propter μίμησιν imitationem Ariſtotelicam: deinde pręcepta non vulgaria & puerilia: ſed exquiſita, & ad vſum forenſem maximè accommodata, & rhetorum myſteria, quæ iidem patefaciunt. In primo enim libro, quæ ipſius eloquentiæ dignitas, præſtantia, vtilitas, materia, finis, cauſa efficiens, Cicero oſtendit. In ſecundo probandi, delectandi, mouendi rationes indicat: de collocatione itidem & memoria agit. In tertio verò Elocutionis & Actionis atq; Pronunciationis doctrinam tradit. Præter verò præcepta illa longè pulcherrima atque vtiliſsima etiam alia ſunt, quæ dialogos hoſce commendant: vt vtramq; in partem diſputandi modus: ratio eruditè, purè, latinè, eleganter tradendi præcepta Rhetorica: πρέπον, decorum in perſonis ad differendum introductis obſeruatum: vſus denique homini politico neceſſarius.

Orator perfectus ad Brutum.

His tribus Dialogis rectè, opinor, orator perfectus ad Brutum ſubiungitur: in quo, veluti compendio quodam omnia ea traduntur, quæ tribus illis in Dialogis de Oratore copioſè Cicero perſecutus eſt. Primò enim inſtituti ſui rationibꝰ redditis, oratoris quandam Ideam & perfectionem proponit. Deinde imperitorum quorundam de Lyſia, Thucydide,

cydide, Xenophonte, & aliis iudicia reiicit. Tum cur à plurimarum artium cognitione inſtructum probè paratumque eſſe oratorem oporteat, oſtendit. Poſtremò, cùm de aliis oratorij officij partibus: tùm verò maximè elocutione agit: & quo illa pacto, à philoſophorum, hiſtoricorum, poetarum, & aliorum differat oratione: quot & quæ dicendi genera: quibus illa in rebus vſurpanda: cuiuſmodi eſſe verborum ſtructuras, compoſitiones, numeros oporteat, pleniùs atque perfectiùs, quàm quiſquam aliorum dicendi magiſtrorum docet. Itaque notatu hoc in opere cognituque ſunt digna; oratoris perfecti deſcriptio: doctrina de dicendi generibus; artium atque diſciplinarum enumeratio: præceptio denique de numeroſa & apta oratione: quæ maximè à perito oratore imperitum ſeparare atque ſeiungere ſolet.

Ab hoc ſi diſceſſerimus opere, commodè vtiliterque liber eiuſdem de Claris oratoribus, qui Brutus inſcribitur, legi poterit. Nihil enim, aut parum admodum, omnibus in artibus atque diſciplinis præcepta proſunt: niſi clarorum virorum præclara ad imitandum propoſita exempla fuerint. Et Ciceronem nō Demoſthenem ſolùm: verùm etiam Platonem, Iſocratem, atque alios quoſdam imitando exprimere conatum fuiſſe; & verò expreſsiſſe feliciter nouimus. Charus igitur acceptusque Eloquentiæ Studioſis hic eſſe *Ciceronis de Claris oratoribus liber.*

liber de Claris oratoribus debet: propterea quòd oratores in illo cùm Greci, tùm Romani recenſentur: & quid in ſingulis præclarũ, laude atq; imitatione dignum: aut vitioſum contrà ac fugiendum oſtenditur.

De optimo genere oratorum. Eadem de cauſa & eiuſdem authoris de optimo genere oratorum legendum fragmentum eſt: propterea quòd in eo Æſchinis atq; Demoſthenis propoſitis exemplis docetur: quodnam Atticum & optimum dicendi genus: qui in bonorum oratorum loco numeroque habendi: non ſcilicet tenues, ſicci, ieiuni, aridi: non etiam tumidi & inflati: ſed qui auditores docēt acutè: argutè delectant: mouent grauiter: humilia ſubmiſſè: temperatè mediocria: magna amplè proferunt.

Topica Ciceronis. Neq; interim eiuſdem authoris negligenda Topica ſunt: in quibus argumētorum ſedes aperiuntur, & quæ quibus ſint ex locis eruendæ ſententiæ, docetur. Itaq; ſibi commendata ea præcepta Eloquētiæ Studioſi habebunt: & quia quæ ſingulis ſint in Statibus adhibenda atq; vſurpanda argumenta oſtendunt, ne quis incertis quaſi ſedibus ſine ordine vllo vagetur: & quia vno veluti in faſciculo comprehenſa tenent ea: quę prolixè in Topicis Ariſtoteles eſt pſecutus: maximè verò iuris atque legum Studioſis proſunt, propterea quòd ad Trebatium I. C. ſcripta ex iure ciuili deſumpta exempla habent.

Libri de Inuentione. Inuentionis verò libri, etſi multa præclara

de

de materia, oratorij officij partibus: generibus cauſarum, aliiſque rebus continent: tamen cũ iudicio legendi ſunt: quia adoleſcens eos Cicero ſcripſit: & quæ à præceptoribus in Scholis audiuerat, literarum monumẽtis tradidit. Et quidem ipſe quodã in loco hoſce ſibi adoleſcenti elapſos eſſe libros ſcribit. Vnde non mirum ſi quæ his contraria aliis in Rhetoricis ſcriptis reperiantur.

Herenniana præcepta.

Atque hæc de Ciceronis libris Rhetoricis ſint dicta. Ad Herenniana enim præcepta quod attinet: illorum ego libenter ſententiæ ſubſcribo, qui Ciceronis ea eſſe negãt: & non ſine rationibus negant. Siue verò Cornificij, ſiue Gallionis, ſiue alterius alicuius ſint authoris illa præcepta, vtilia profectò ſunt, cognituque neceſſaria, quia breuiter ſunt & perſpicuè, & orationis genere non impuro aut barbaro, ſed latino tradita: & quæ in oratoris ſunt poſita munere atque officio, complectuntur omnia. In primo enim libro officium oratoris indicatur: oſtenditur materia: oratorij officij partes enumerantur & definiuntur: quot ſint exordiorũ genera, & qua ratione ſingulis in cauſarum generibus fiãt, docetur: de narrationũ cùm ſpeciebus, tùm virtutibus agitur: diuiſionis, contentionis, atq; ſtatuum præcepta tradũtur. In ſecundo ratio ad vnamquamq; conſtitutionẽ accommodandæ inuentionis aperitur: argumentationum virtutes atq; vitia notantur: perq-

rationum præcepta explicantur. In tertio, abſoluta iudicialis generis inuentione, de deliberatiuo & demonſtratiuo: tribus etiam officij oratorij partibus diſpoſitione, pronunciatione, memoria: ſeorſim verò in quarto & poſtremo de Elocutione doctrina inſtituitur. Et quod hoc in authore ſingulare notatuque dignum, non ſolùm virtutes indicat: verùm etiam quæ vitia, & quomodo vitanda, planum facit.

Quintiliani Inſtitutiones oratoriæ. Quòd ſi verò de Quintiliano quidnam ſit ſentiendum veſtrũ aliquis quærat eum quoque non eſſe negligendum, ſed legendum diligenter exiſtimo: maximè iis, qui etiam minima, ad informandum tamen oratorem neceſſaria cognoſcere & docere alios cupiunt. Ab incunabulis enim puerilis doctrinę quendam ordinem præceptorũ repetit: nec etiam minuta illa, quæ primis annis diſcimus, ſtudia contemnit. Deinde in præceptis tradendis ea ratione vtitur, quæ ad diſcendum facilè adoleſcentes excitare poteſt: non ſecus atque (vt de ſuo hoc nobis poeta largiatur)

——Pueris abſinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, prius oras pocula circum
Aſpirant mellis dulci flauoque liquore.

Inter verò alios libros commendati maximè eloquentiæ Studioſis tertius, quartus, octauus, nonus, decimus. vndecimus eſſe debẽt: in quibus de artis ſcriptoribus, cauſarum generibus, ſtatibus, orationis partibus, elocutione,

tione, præceptorum habitu legendo, ſcribendo, dicendo, parando, decoro, memoria, pronunciatione agitur: vt primò de educatione domeſtica & priuata, pædagogis, natura puerorum: ſecundo, primis Rhetorum elementis, præceptoris officio, exercitationibus primò inſtituendis: quinto argumentis eorundemque tractatione: ſexto animorum motu & facetiis: ſeptimo diſpoſitione: poſtremo oratoris boni conditionibus, præceptio inſtituitur.

Reliquus adhuc inter dicendi magiſtros Hermogenes eſt: ſcriptor neglectus hactenus multis in Scholis ob breuitatem, ſubtilitatem, obſcuritatem: dignus tamen qui legatur & cognoſcatur propter inuentionem, elocutionem, oratorij officij partes pręcipuas, quas tribus ille in voluminibus complexus eſt. Primum enim de ſtatibus doctrinam, vtilem in conſiliis capiendis: neceſſariam in cauſis diſceptandis: omnibus denique hominum congreſsibus accommodatā tradit: & de ciuilium quæſtionū conſtitutionibus, earundemque locis atque *κεφαλαίοις* agit. Deinde in quatuor libris de Inuentione, inueniendi rationem, non illam communem, ſed ſingularem orationis partium complectitur: & quibuſnam ex locis inuenienda exordia, in libro primo: vnde ſumendæ narrationes, in ſecundo: vnde petendæ partitiones, propoſitiones, confirmationes in tertio: cuiuſ- *Hermogenis libri Rhetorici.*

modi argumentorum adhibendæ conformationes in quarto & poſtremo libro docet. In tertio verò volumine elocutionis præcepta perſequitur, & ſeptem dicendi formas ſeu Ideas recenſet, ita vt in ſingulis ſeptem obſeruanda eſſe doceat: ἐννοίας ſententias, μέθοδον tractandi modum, λέξεις verba, σχήματα ornamenta, κῶλα membra, σύνθεσιν collocationem & ſtructuram, ἀναπαύσεις clauſulas, & ῥυθμὸν numerum, qui ex vtriſque conſtituitur. Legendus ergo & hic eſt author, propter præcepta egregia: propter docendi rationem breuem & acutam: propter inuentionem ſpeciatim, & ad vſum maximè accommodatè inſtitutam: propter denique Demoſthenis lectionem, ex quo prçeptorum petere exempla authori placuit. Ita vt non interim & Demetrij Phaleræi de elocutione præcepta negligantur.

De ordine, modo, iudicio in Rhetoricis præceptis cognoſcendis, colligendis, vſurpandis adhibendo.

CAP. VI.

BReuiter dicendi Magiſtros tùm Græcos, tùm Romanos vobis indicare, & quę apud ſingulos reperiantur, oſtendere conatus ſum. Reliquum eſt, vt quo ordine, modo, iudicio

eorum

eorundem ſcripta legenda, colligenda, referenda in locos, ad vſum transferenda commonſtrem. Neq; enim authores iſti omnes ſimul & vno eodemq; tempore: neq; confuſè, & tumultuariè: neq; ſine iudicio ab Eloquentiæ Studioſis cognoſcendi & adhibēdi ſunt: ſed ordo tenendus: & obſeruandus modus: & iudicium adhibendum: & denique diligenter conſiderandus vſus eſt.

Ordo in præceptis diſcendis obſeruandus.

Ad ordinem ergo primùm quod attinet: nō omnia vno legi atq; cognoſci tempore vel poſſunt, vel debent: ſed initium faciendum à facilioribus atq; breuioribus: cuiuſmodi partitiones ſunt oratoriæ Ciceronis, & Herenniani magiſtri præcepta. Ab his deinde ad difficiliora erit progrediēdum: vt Ariſtotelica, Hermogenica, & à Cicerone in tribus de oratore dialogis, oratore perfecto, & aliis libris tradita: quæ eruditis atque exercitatis magis, quàm tyronibus proſunt.

Modus in arte tenendus.

Modus verò ſecundo loco ita in iiſdem eſt inſtituendus: vt tantum quiſque ſumat ex iis: quantum neceſſe ſeſe habere exiſtimat. Aliud enim eſt in ſtudio aliquo certo vitæ ſuæ quaſi tabernaculum collocare: aliud ad vſum & vitæ genus certum ſtudium aliquod accommodare. Illis negligendum eſt nihil: inueſtiganda atque inquirenda omnia, etiam minima, quæ à dicendi magiſtris ſunt tradita: his ſatis eſt ea quæ ad propoſitum ſtudiorum finem atque ſcopum neceſſaria

eſſe & vtilia videntur, cognita habere. Vt ergo modo bono in Rhetorum legendis libris verſemur, tria opinor, neceſſaria erunt. Primum: vt quia oratoris hoc eſt munus & officium, vt doceat, moueat, delectet: diſtinctè cognoſcat quæſtionum & ſtatuum primò doctrinam. Deinde genera locorum, ex quibus docentia, delectantia, mouentia argumenta depromenda. Tertiò inuentorum argumentorum ſingulis in orationis partibus collocationem & tractationem. Quartò Elocutionis bonæ virtutes, ſeu Ideas. Quintò pronunciandi atque agendi rationem. Sextò ad memoriam quæ pertinent. His enim ſex quaſi capitibus comprehendi atque diſtingui omnia ea poſſe videntur: quæ fuſè ſunt ac copioſè à dicendi magiſtris in Rhetoricis voluminibus tradita.

Locorũ communium vſitatio.

Alterum, quia non ſatis eſt cognita præcepta habere: verùm etiam ad eorundem reſpicere vſum, & memoriȩ conſulere oportet; vtile eſt animaduerſa ad ſuos locos, & quaſi cellulas quaſdam comportare: & quæ abeſſe in vno aliquo, deſiderarique videntur ex aliis complere. Nihil enim ſimul inuentum, & expolitum atque perfectum eſt: non plenè omnes perfecteque tradunt omnia; imò ne quidem omnia vno eodemque tradere in opere cupiunt. Interdum illorum quibuſcum viuunt, rationem in ſcribendo habent: nonnunquam ingeniis ſuis indulgent: ſæpe, vel

vel præpropera impediti morte, vel aliis diſtricti negotiis, manũ imponere poſtremam ſcriptis ſuis non poſſunt. Itaque quod libro de Inuentione ſecundo in arte dicendi ſcribenda facere ſeſe Cicero affirmat; in diſcenda notandaque eadem nobis quoque faciendum, operaque danda: vt omnibus in vnum locum coactis ſcriptoribus, quod quiſque commodiſsimè præcipere videtur, excerpamus, & ex variis ingeniis excellẽtiſsima quæque libemus.

Poterunt autem loci communes *τεχνολογικοὶ* artis & præceptorum tales inſtitui: *Loci τεχνολογικοί.*

I. De Eloquentiæ vtilitate: ſit necne opera illi danda.

II. De cauſa Eloquentiæ efficiente: arte ne & doctrina: an vſu & exercitatione paretur: an à natura illa detur hominibus.

III. De oratoris materia, finita ne illa, an infinita.

IIII. De oratoris fine.

V. De oratoris officio: quot illud in partibus conſiſtat.

VI. De ſtatibus, quot illi, & quomodo inueſtigandi atque cognoſcendi.

VII. De locorum generibus: quot, & à quibus initium in inueniendis argumentis ſumendum.

VIII. De locorũ genere *πιστικῶν*, & attributis variis, à quib⁹ argumẽta petẽda,

IX. De Statuum locis.
X. De locis ὑποθετικοῖς, & generum cauſarum propriis.
XI. De communi locorum genere.
XII. De argumentorum ex locis inuentorum vſu, delectu, collocatione, tractatione.
XIII. De Exordiis.
XIIII. De Narrationibus.
XV. De προκατασκευῇ confirmationis aditu: propoſitione, & partitione.
XVI. De Confirmatione.
XVII. De Refutatione.
XVIII. De Peroratione.
XIX. De Elocutione in genere; cur vtilis ea, & neceſſaria; & quibus in virtutibus poſita.
XX. De Oratoris puritate & latinitate.
XXI. De perſpicuitate ac diluciditate.
XXII. De amplitudine & ornatu.
XXIII. De decoro & aptitudine.
XXIIII. De numeris oratoriis.
XXV. De membris ac periodis.
XXVI. De memoria.
XXVII. De pronunciatione.
XXVIII. De iis quæ præter præcepta neceſſario in futuro oratore requirũtur.

Ad hos locos generales, quæ in Rhetoricis voluminibus reperiuntur, referri præcepta poterunt: ſub quibus & alia comprehenduntur. Ἀναλογομία enim, vt aliis in rebus, ita quo-

que locis communibus inſtituendis impedire magis ac remorari, quàm promouere Eloquentiæ Studioſos ſolent.

Tertium quod requiritur, παρατήρησις Exemplorum obſeruatio eſt. Plura enim in Ciceronis, Demoſthenis, & aliorum orationibus oſtendi poſſunt, quã à dicendi magiſtris ſunt tradita. Ars quoq; ipſa ſine exemplis ieiuna, obſcura, infrugifera, tædij ac faſtidij plena eſt. Exempla enim vt præcepta & intelligantur, & in memoriam redigantur, & ad vſum transferantur, efficiunt: imitationem quoque certa intra ſepta cancelloſq; continent. Itaque ſic præcepta Rhetorica leget, colliget, in locos communes referet Eloquentiæ Studioſus: vt exemplis ſpatium aliquod relinquat: & quæ in orationibus legit oratorum: ad præcepta accommodet: de ſuo etiam aliquid addat, meditatione, commentatione, exercitatione acquiſitum.

Exemplorũ παρατήρησις obſeruatio.

Et hæc quidem in modo cognoſcendi notandique præcepta Rhetorica obſeruanda. Reſtat de iudicio vt agatur: quod in Rhetorum præceptis adhibendum. Quemadmodum enim ſtultitia magna eſt: ab iis quæ rectè vtiliterque ſunt ab aliis inuenta, temerè recedere: ſi quo illorum vitio offendamur: ita & ad vitia accedere eorum, quorum aliquo bene præcepto ducimur, & turpe, & pernicioſum eſt. Sunt deinde in authoribus non pauca, quæ nõ ad doctrinam ipſam per-

Quo iudicio Rhetorici libelli legendi.

tinent, ſed decorum referuntur: aut aliis de cauſis adhibentur. Dicendi magiſtros veteres Ariſtoteles reprehendit: ſua probat: ſubtiliora etiam quædam tradit, quàm vſus oratorius requirat. Exemplis deinde non oratorum, ſed philoſophorum & poetarum vtitur: vel quia philoſophos quàm alios efficere oratores maluit: vel quia offendere Philippum, eiusque filium Alexandrum noluit, quibus inuiſi Athenienſium oratores fuerunt. Idem etiam in tribus illis de Oratore dialogis obſeruandum eſt: in quibus multa à Cicerone traduntur, quæ ad πρέπον, decorum dialogicum, & Antonij perſonam pertinent, qui artem aut diſsimulauit, aut correxit, aut eidem vſum atque exercitationem prætulit. Non minore & in Hermogene opus iudicio eſt: qui propter breuitatem valde obſcurus eſt: & ſingula ferè præcepta ſingulis verbis abſoluit. In quibuſdam etiam exempla prorſus omittit: propterea quòd quæ ſubitò ſcripſit, exemplis illuſtrare non potuit: vt in ἐπιεικέας, modeſtæ atque moratæ orationis forma ipſe fatetur. In Herenniano quoque magiſtro vt vtilia notatuque digna multa reperiuntur: ita & deprehenduntur nonnulla: partim ab aliorũ Rhetorum præceptis diſcrepantia: partim ſuperſtitioſè magis quàm vtiliter tradita. Talia de memoria præcepta ſunt: quæ cognoſci quidem legiq; poſſunt: ſed ita, vt non nimis illis diu inhæ-

ramus: his etiam alia præferamus: quæ ad memoriam iuuandam magis accommodata eſſe videntur.

Ad vſum verò præceptorum poſtremò quod attinet: grauiter peccant illi: qui artis dicendi præceptis cognitis, eloquentiam ſeſe parare poſſe exiſtimant: exercitationes omnes negligunt: nulla ſeſe rerum cognitione atque ſcientia inſtruunt. Errant deinde & illi, qui Rhetorum præceptis veluti plebiſcitis quibuſdam inhærēt: nec latum (quod aiunt) vnguem ab his recedere audent. Sed non minus illi reprehendendi ſunt, qui artem in ſcribendo nō occulunt & tegunt: ſed oſtentant: pictoribus ſcilicet imperitis ſimiles: qui iis quæ pinxerunt, nomina atque appellationes adſcribere ſuas ſolent. Itaque tria hîc notanda eſſe arbitror. Vnum, vt artis quidem cognoſcamus præcepta: in iis verò ſolis dicendi vim omnē eſſe poſitam non exiſtimemus. Alterum, vt in præceptis ipſis, quid aut deceat, aut expediat: quid tempus requirat: poſtulet locus: auditores expectent, petant, poſcant, flagitent, conſideremus. Tertium, vt artificioſè quidem dicamus & ſcribamus: artem verò ipſam occultemus: eiuſdem venditationem atque oſtentationem fugiamus: ne vel authoritatem illa nobis, vel fidem adimat.

Vſus præceptorum.

De plurimarum rerum ſcientia & cognitione: cur illa, & quorum potiſſimùm authorum lectione comparanda:

CAP. VII.

DE ingeniis hactenus oratoriis, & doctrinæ conformatione ac præceptis dictum fuit. Sequitur de tertio capite, & quidem minimè poſtremo, rerum ſcilicet plurimarum pulcherrimarumque paranda cognitione vt agatur. Parùm enim natura prodeſt bona: exiguam oratori vtilitatem ars adfert & doctrinæ conformatio: niſi pulcherrimarum rerum ſcientia, quaſi viatico quodam, præclarè inſtructus idem fuerit. Nec ſolùm acuẽda aut procudenda lingua eſt: ſed complendum pectus maximarum plurimarumque rerum, ſuauitate, copia, varietate. Et hoc, opinor, eſt, quod apud Platonem de Sophiſtis Socrates queritur, cordis eòs & linguæ diſsidium inſtituiſſe. Cicero verò neminem vnquam omni laude cumulatum eſſe potuiſſe oratorem ſcribit: niſi rerum magnarum atq; artium ſcientiam idem conſecutus fuerit. Neque affirmare dubitat: oratorem ſeſe nõ tàm Rhetorum Scholis, quàm Academię ſpaciis extitiſſe. Magna enim oratoris profeſsio eſt: docere debet;

Plurimarũ rerum cognitio cur paranda.

bet: delectare tenetur: mouere neceſſe habet. Non ille arctis finibus includitur: aut ſpatio veluti circumſcribitur: ſed tractanda ei ſunt, & oratione polienda omnia, quæ in hominum ſunt vita poſita: atq; hoc modo ab aliis, quorum certos intra cancellos ſeptaq; incluſa induſtria eſt, idem ſeparatur. Magna ergo, varia, multiplici rerum cognitione imbutus vt ſit, oportet: ſi in dicendo ſtare præclarè: ſi non imperitis modò inani linguæ volubilitate, verborumq; profluentia, & nugis placere canoris: verùm etiam doctis atque prudentibus graui, ſapienti & ingenij ac doctrinæ notis illuminata oratione ſatis facere cupiat. Itaq; vt nõ exanguem, nudam, ieiunam: ſed doctam, ſapientem, admirabilem adferat orationem: & nõ ſolùm ornatè, verùm etiam prudenter grauiterq; dicat orator: hoc in capite quinam illi authores legendi, oſtendere conabor: paulò pòſt indicaturus & alia, quæ ad ordinem, modum, iudicium, vſum, locos communes pertinere videntur.

Primùm ergo Horatianum illud ſecutus:

Scribẽdi rectè ſapere eſt, & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ:
Verbaq; prouiſam rem non inuita ſequentur.

Philoſophos oratori futuro vtiles & neceſſarios eſſe arbitror: nec ſolùm Ethicos ac Politicos: verùm etiam Dialecticos, atque Phyſicos. Ad Grammaticos enim quod attinet. Ciceronis iudicium ſequor: qui libro *Philoſophi legendi.*

de Oratore tertio, non, inquit, conamur eum docere dicere, qui loqui neſciat: nec ſperare qui latinè, emendatè, propriè nō poſsit, hunc ornatè eſſe dicturum, aut eleganter. Itaque Dialecticis primò præceptis vt ſit inſtructus orator neceſſe habet: vt vim naturamq; verborum cùm ſimplicium, tùm copulatorum cognitam habeat: vt inueniendi vim atque rationem teneat: vt definiendo rem explicet: diuidendo in partes diſtribuat: cernat conſequentia: videat pugnantia: probabilia à neceſſariis diſiungat: à falſis vera ſeparet. Et quanquam Craſſus libro de Oratore primo concedere oratori videtur: vt differendi ſubtilitatem relinquat: tamen ignauiæ atque inertiæ hoc oratoris concedit. Et Diodorum Stoicum, Ciceronem: Eubulidem, Demoſthenem in Dialectica audiuiſſe legimus. Deinde, quia non in vmbra, non ocio, non pulueribus hærere Scholaſticis: ſed in lucem, in arenam, in aciem prodire debet orator, & prodeſſe Reipublicæ: etiam politica atque Ethica præcepta cognoſcet: vt antiquitatem inde percipiat: adminiſtrandæ Reipublicæ rationem cognoſcat: Senatoriam conſuetudinem intelligat: prudens & ſalutare in deliberationibus conſilium det ciuibus: in demonſtratiuo genere, aut magnificè claros homines laudet: aut improbos reprehendat acriter: in foro denique & iudiciis de æquo & iniquo: iniuſto & iuſto: pœnis ac præ-

miis,

miis, eruditè, ſapienter, grauiter verba faciat. Neque illius partis philoſophiæ, quæ de naturæ eſt obſcuritate, omnino ignarus erit orator: cùm naturalium rerum cognitio & dicendi copiam amplam ſuppeditet: & plenã, grandem, excelſam orationem efficiat: & verò ad πάθη, animorum motus cum primis vtilis ſit atque accommodata. Vnde in Phœdro Plato ſine phyſices cognitione bene dicendi facultatem neminem eſſe conſecutum ſcribit: eoque nomine Periclem illum Atheniensium oratorem admirabilem atque formidabilem extitiſſe affirmat: quod Anaxagoræ phyſici auditor fuiſſet: ab eodem etiam cùm alia præclara & magnifica: tùm verò animorum mouendorum rationem accepiſſet.

Hiſtoricorũ cognitio.

Atque hæc quidem de philoſophis in genere ſint dicta. Ab his deinde ad hiſtoricos futurus orator progredietur: ꝓpterea quód ad prudentiam parandam maximè hiſtoriæ proſunt: & exempla ſuppeditant: quæ oratori authoritatem conciliant: auditores & docent, & mouent, & delectant, imperitos cumprimis, qui quæ facilè atque celeriter docent: quæ teſtimoniis ſimilia: cum ſuauitate denique, propter ſimilitudinem coniuncta, amant, admittunt, probant.

Lectio poetarum.

Quemadmodum verò philoſophia imbutum atque inſtructum hiſtoriis eſſe oratorem oportet: ita quoque poetarum in eodem lectio requiritur: & non ſine cauſa ac ratio-

ne requiritur. Etenim vt oblectationẽ nunc honeſtam omittam, quæ ex eadem percipitur tum, cùm cõceptam ſeuerioribus ſtudiis miſeriam animo, vt ille ait, expuere volumus: nihil ad verborum copiam comparandam: ad amplificandi rationes varias: ad animorum motus atque perturbationes: ad πρέπον, perſonarum decorum; ad γνώμας, ſententias egregias: ad compoſitionem aptam, concinnam, ſuauem, & auditorum gratam auribus, poetarum lectione, aut vtilius, aut neceſſarium magis reperitur. Eſt enim ſingularis in poetis verborum ſplendor, elegantia, grauitas, ſublimitas: amplificationes rerum habent & factorum iidem egregias. In affectibus mouendis mirabiles ſunt planè. In perſonis decorum ſumma diligentia obſeruant: ſententiis denique eruditis, acutis, ſubtilibus vtuntur, quæ aptè ſuoque loco in oratione adhibitæ, veluti gemmæ quædam eandem exornant.

Facultates ſuperiores. Neque verò quia de philoſophis, poetis, hiſtoricis agimus: nullam propterea ſuperiorum facultatum, Theologiæ, inquam, & Iuriſprudentiæ rationem eſſe habendam cenſendum eſt. Etenim ſumma ſacris in literis ſapientia eſt tradita: & (vt alia nunc mittam) quæ de virtutibus ac vita benè beateque inſtituenda tradi poſſunt, in iiſdem comprehenſa tenentur omnia. Iuris autem ciuilis futurus Orator ignarus eſſe non poteſt: ſiue

ſenten-

ſententiæ in deliberationibus & conſiliis grauiſsimis dicendæ: ſiue cauſæ agendæ: ſiue alia tractanda, quæ iuris atque legum cognitione carere nequeũt. Et Ciceronem Q. Scæuolæ homini iuris peritiſsimo atque acutiſſimo operam dediſſe nouimus.

Quinam in ſpecie legendi ab oratore philoſophi, hiſtorici, poetæ.

CAP. VIII.

QVinam in genere oratori futuro cognoſcendi ſint authores: modò dictum eſt. Reliquum eſt in ſpecie de iiſdem vt agatur: & qui ſint legendi philoſophi, hiſtorici, poetæ oſtẽdatur. Ad philoſophiam ergo primò quod attinet: cùm variæ philoſophorum ſint ſectæ atq; familiæ: vtile cumprimis & neceſſarium eſt finem ſtudiorum conſiderare: qui eſt: vt in luce aliquando verſemur: cauſas agamus in foro: noſtram in curia atque ſenatu ſententiam explicemus: legationes obeamus: de ſuggeſtu populum doceamus. Itaque philoſophi illi legendi, qui & ſententiarum & orationis genere non horrido, aſpero, à communibus hominum inſtitutis, moribus, opinionibus alieno: ſed dilucido, perſpicuo, copioſo vtuntur: & cùm viros bonos: tùm dicendi peritos efficiunt. Tales autem ſunt, non

Philoſophi quinam legendi.

Stoici, qui ſententias reconditas nimis, & ab hominum opinionibus plurimũ diſcrepantes: orationis verò genus ieiunum, aridum, exuccum, obſcurum, ſtrigoſum habent· non etiam Epicuræi, qui à virtute, honeſtate, viríque boni officio alienas ſententias defendunt: ſed Peripatetici. Nam & ſententias illi à communibus hominum moribus non diſcrepantes tuentur: & genus orationis in docendo dilucidum, atque perſpicuum adhibent: & in vtramque partem de rebus grauibus ac vtilibus diſputant: & denique ita oratorem inſtruunt: vt non in tenebris, ſed luce verſari: rem etiam cùm priuatam, tùm publicam rectè gubernare poſsit.

Plato. Vnde facilè, vt mea quidem fert opinio, intelligitur, quinam in politicis legendi philoſophi ſint. Libros de Republica decem: duodecim de Legibus ſcripſit Plato. In illis ea quæ in nobiliſsimis fieri ciuitatibus debere arbitratur, explicat, Remque publicam talem deſcribit: qualis optari fortè, at non reperiri facilè poteſt. In his autem qualis eſſe ſoleat, oſtendit: notatiſque iis, quæ in Spartana, Athenienſi, Cretenſi Republica vſu recepta probataque erant, ad popularem magis ciuilis ſocietatis formam ſeſe accommodat. Sunt ergo legendi Platonis de Republica libri: ſed legendi cum iudicio: & conſiderandus finis: qui philoſopho fuit in illis propoſitus. Maior verò diligentia in libris de Legibus

gibus cognoſcendis adhibenda : in quibus quæ ad iuuentutis educationem: ad ciuitatis materiam atq; formam : ad gubernationem, aliaq; neceſſaria, vir ille diuinus plenè eſt ac perfectè perſecutus.

Quanquam hęc ipſa ciuilis cognitio ex Ariſtotelis libris Politicis meliùs peti poſſe videtur: in quibus de ciuitatis materia & forma: ortu, incrementis, interitu, legum ferendarum ratione, aliiſque rebus vtilibus agitur: omnia quoque non argumentis ſolùm & rationibus confirmantur: verùm etiam Illuſtrium Rerumpublicarum illuſtrantur exemplis: magis denique cùm ad vſum, tùm hominum ingenia accommodatè traduntur. *Ariſtoteles.*

Politica ergo ſcientia ex Platone & Ariſtotele, ſummis philoſophis erit petenda : ſed huic pòſt Ethica adiungenda : quæ ſingulorum hominum mores informat: ac plenè decem iis in libris, quos ad Nicomachum ſcripſit Ariſtoteles, eſt tradita. Cui non incommodè, compendij quaſi loco aureus ille de Virtutibus ac vitiis liber addi poterit: in quo breuiſsimè ad virtutes atque vitia quæ pertinent, idem author tradidit. Ad magna enim moralia quod attinet: ſunt non pauci: qui ſint nec ne illa Ariſtotelis dubitant: propter ſtylum & ordinem. Ad Eudemum verò ſcripta: multa & confuſè tradita: & ab ipſo pòſt Ariſtotele reprehenſa atque refutata continent.

His Platonicis & Ariſtotelicis ſcriptis non malè adiungi poſſunt quæ apud Xenophontem & Plutarchum reperiuntur. Vt enim nihil iam de Xenophontis genere dicendi puro, eleganti, leni, perſpicuo dicamus: ſed res ipſas & ſententias conſideremus: dum Socratis vitam deſcribit: dum dicta factaque præclara literarum monumentis tradit: dum virtutum vitiorumq; perſequitur naturam: vtilis cumprimis ſummeque neceſſaria eius eſt lectio iis, qui in rebus verſari gerendis cupiunt. Plutarchus quoque futuro oratori vtilis eſt: vt qui & politicus ipſe fuit, Traiano Imperatori longè chariſsimus: & non pauca ſuis in moralibus eſt complexus: de virtute paranda: de Rerumpublicarum adminiſtratione: dominationum atque imperiorum generibus: de ira cohibenda: de animi tranquillitate: de exilio, odio, inuidia, de rebus aliis, quæ erudire atque informare poſſunt eum, qui in foro, curia, principum cancellis, literatorum congreſsibus grauiter prudenterq; verba facere cupit.

Xenophon.

Plutarchus.

Ciceronis libri philoſophici.

Et hæc quidem de Græcis ſint authoribus dicta. Inter Latinos nemo de philoſophia ante Ciceronem ſcribere aliquid eſt aggreſſus. Qui quidem ſuis in libris eruditis & politis ea complexus eſſe videtur: quæ ad oratoris implendas cellulas ſunt neceſſaria. Nam & philoſophiam ille in Hortenſio commendat: & cùm eiuſdem non vnum idémque

que ſit genus: quodnam minimè arrogans, maximeque conſtans, & elegans, quatuor Academicis libris oſtendit. Deinde cùm diuerſæ diuerſorum de ſummo hominis bono & felicitate ſint opiniones atque ſententiæ: quid à quoque, & contra quem hac de quæſtione dicatur, in quinque de Finibus libris planum facit. Tum quia eandem hominis beatitudinem obſcurant, impediunt, euertunt: mortis metus: dolor corporis: mentis ægritudo: aliæ præterea animi perturbationes: in Tuſculanarum diſputationum libro primo, de contemnenda morte: ſecundo, tolerando dolore: tertio, ægritudine lenienda: quarto, affectibus reliquis: poſtremo, αὐταρκείᾳ agit. His editis, quia ad felicitatem, DEI diuinarumque rerum cognitio neceſſariò requiritur: quid de illis ſentiendum omnibus: in tribus libris de Natura deorũ, Diuinatione & Fato oſtẽdit. Poſtremò, quoniam etiam priuatim, rectè, ac ſecundum virtutẽ eſt vita inſtituenda, quæ hic obſeruanda: in tribus Officiorum libris: de Amicitia & Senectute dialogis, aliiſque locis, diligenter, eruditè, copioſè docet: vt vel vnicus Cicero latina in lingua futuro oratori & politico ſufficere poſsit.

Quod enim ad Senecam attinet: ſententias ille quidem concinnas, breues, argutas: vitiorum reprehenſiones: laudationes virtutum non contemnendas habet. At nec ſtylus *Seneca.*

eiuſdem probatur: nec res peræquè placent ac ſententiæ omnibus.

Phyſici qui legendi.

In phyſicis verò facilè futurus orator contentus iis eſſe poterit, quę, vt alia omnia, præclarè ſunt & eruditè ab Ariſtotele tradita: de rerum principiis: de ortu ac interitu: de tempeſtatum cauſis: de animi conditione: de ratione ſenſuum: de animalium natura: de aliis quibuſdam cognitu & vtilibus & neceſſariis. Neque tamen improbandum hoc interim erit: ſi quis & Catonem ſibi accerſere: & adhibere Varronem: & Columellam cognoſcere: & legere Plinium voluerit: propterea quòd multa illorum in ſcriptis reperiuntur: quæ à cæteris tradita explicataque non fuerunt.

Hiſtoriarum diſtributio.

Atque hi quidem in philoſophia authores tùm græci, tùm latini, futuro oratori ſunt cognoſcendi. Sequitur de hiſtoricis vt agamus, qui & ipſi benè multi ſunt atque varij: ſed tamen diſtributione commoda adhibita, non omninò malè legi cognoſcique poſſunt. Qua quidem in re Ciceronis in Oratore perfecto tenendum oratori præceptum eſt: qui monet: vt memoriæ primùm veteris ordinem: deinde ciuitatis ſuæ: tùm imperioſorum populorum: poſtremò regum atq; principum illuſtrium res geſtas orator cognoſcat: & hiſtoriæ omnes quatuor in ordines ſeu claſſes: in veteris memoriæ ordinem: in ciuitatis noſtræ: in imperioſorum populorum;

rum: in regum denique atque principum il-luſtrium facta diſtinguendæ.

Ad hiſtoricos ergò vniuerſales, & qui veteris memoriæ ordinem obſeruarunt, quod attinet: omnium inter eos primus & antiquiſsimus Moſes eſt, qui originum librum ab orbe condito vſque ad Hebræorum ex Ægypto migrationem ſcripſit. Huius poſt hiſtoriam à libro Ioſuæ & Iudicum vſque ad Herodotum Halicarnaſſæum prophetæ continuant. Tantum autem Herodoto vetuſtas tribuit, vt eum patrem hiſtoriæ appellârit: tùm propter antiquitatem: tùm genus orationis purum, elegans, ſuaue. Hunc Thucydides Atticus excipit: quem Xenophon, Diodorus Siculus, Liuius & alij poſteà ſequuntur. Qua de re cùm aliorum clariſsimorum doctiſsimorumq; virorum, tùm Philippi Melanthonis, Dauidis Chytræi, Bodini ſcripta hiſtorica legenda. *Hiſtorici vniuerſales.*

Quemadmodum verò veteris memoriæ tenere ordinem vtile ac neceſſarium oratori eſt: ita ab eodem requiritur: vt illius ciuitatis, Reipublicæ, prouinciæ: in qua aut lucem hanc primò aſpexit: aut rerum ſuarum fixam certamque ſedem collocauit, res geſtas cognitas perſpectasque habeat. Vt enim in aliena domo curioſum eſſe velle: ignorare verò ſua, ineptum, ridiculum, turpe eſt: ita & reprehenſione meritò ij digni cenſendi, qui exterorum facta præclara norunt: quæ verò in

patria ſunt, & ciuitate ſua geſta: quibus maiores artibus imperium parârint: partum conſeruârint: conſeruatum auxerint atque amplificârint, minimè aut ſciunt, aut ſcire deſiderant.

Germanicarum rerum ſcriptores. Inter Germanicarum ergò rerum ſcriptores principem meritò locum Iulius Cæſar obtinet, qui Germanorum cùm alias virtutes, tùm fortitudinem, iuſtitiam, continentiam commendat: & orationis genere commendat puro, latino, eleganti. Vt non immeritò videre ſeſe neget Cicero: cui cedere Cæſar debeat: quòd elegantem, ſplendidam, ac generoſam quodammodo dicendi rationem teneat. Proximus à Cæſare locus Cornelio Tacito debetur, qui libellum de Germanorum inſtitutis ac moribus ſcripſit, & inter alia maximè priſcæ honeſtatis, & ingenuæ ſimplicitatis imaginê admirationi fuiſſe in Germanis affirmat. Sunt deinde & alij, iiq; non contemnendi viri, qui Germanorum res geſtas literarum monumentis conſignârunt: Conradus Abbas Vrſpergenſis: Ioannes Auentinus: Beatus Rhenanus: Ioannes Nauclerus: Ioannes Sleidanus, &c. quorum minimè negligendæ aut contemnendæ ſunt hiſtoriæ. Sed & ſingulæ in his prouinciæ ſuos ſcriptores habent: Auſtriaci, Vuolffgangum Lazium: Saxones, Albertum Crantzium: Bauari, Auentinum: Sueui, Nauclerum & Auentinum: Heluetij, Ioannem Stumpfium

&

& Simlerum: alij alios. Qua de re Chytræi, & Theodori Zuingeri libelli erudituſsimi legendi.

Iam verò tertio loco diſtinctè etiam, quinam, quibus de populis atque ciuitatibus imperioſis, vel regibus & principibus ſcripſerint illuſtribus hiſtorici, oſtendendum eſt. Et quidem de Athenienſi Republica hiſtorici libri primò Thucydidis Athenienſis extant, quem πολιτικὸν vocat Hermogenes: Dionyſius omnium Scriptorum δαιμονιώτατον nominat: Demoſthenes deſcripſiſſe fatetur octies: Cicero in Oratore perfecto ad Brutum laudat, propter prudentiam, ſententiarum grauitatem, fidem, dicendi libertatem, breuitatem. Deinde Xenophontis, qui Thucydidis narrationem perſequitur eorum, quæ ad prælium vſque Lacedæmoniorum & Thebanorum ad Mantineam ſunt geſta. Lectione autem dignus eſt ſcriptor, non modò propter res, quas deſcribit: verùm etiam orationis genus verè Atticum, purum, ſuaue, elegans, venuſtum. Tribuit enim in dicendo ſimplicitatem ei Hermogenes: ſed laudabilem, eruditam: non aridam, exuccam, exanguem, humi repentem: deinde ſuauitatem: tùm perſpicuitatem atque puritatem. Et veteres eundem non malè Atticam apiculam nominârunt. Tertiò eadem de Republica & Diodorus Siculus ſcripſit, & Plutarchus: & inter recentiores Carolus Sigonius,

De Rebuſpublicis illuſtribus qui ſcripſerint.

Athenienſis Reipubl. ſcriptores.

Thucydides.

Xenophon.

ſingulari doctrina, diligentia, fide præditus.

Romanæ Reipublicæ hiſtorici. Ab iiſdem & Spartana eſt Reſpublica deſcripta. De Romana verò præter alios egerunt: *Dionyſ. Halicarnaſſæus.* Dionyſius Halicarnaſſæus Pompeio Magno & Varroni familiaris: qui res Romanorum deſcripſit diligenter: multaque ab aliis omiſſa notauit: cuiuſmodi ſunt quæ ad leges, diſciplinam, magiſtratus, ſacrificia, ludos, eiuſdemque generis alia Romanorum pertinent. Et orationis eſt genere, temperato, puro, Attico vſus. Quod etiam ſingulare, & ad iudicium conformandum plurimùm prodeſt, non res ſolùm Romanorum eſt complexus: verùm etiam conſilia, dicta, *Polybius.* euentus expoſuit. Deinde Polybius Magalopolitanus, Scipionis Æmiliani vltimo bello Punico comes: ſcriptor bonus, non propter genus modò orationis: ſed & alia quædam notatu digna: cuiuſmodi ſunt: in reprehendendo acrimonia: admonitiones philoſophicæ: regionum & locorum deſcriptio- *Liuius.* nes. Tum Titus Liuius Patauinus, qui 746. annorum continuam hiſtoriam conſcripſit. Hunc magnopere laudat Quintilianus, ediſcendumque pueris ſuadet: propter incredibilem ac concinnam eloquentiam: propter miram in narrando iucunditatem & ſuauitatem: propter orationis genus rebus ac perſonis accommodatum: propter verborum copiam, grauitatem, ſublimitatem. Cui poſt Iulij Cæſaris Commentaria lectu digniſsima,

ſubiun-

ſubiungendus & Criſpus Salluſtius,qui bellum Catilinarium & Iugurthinum deſcripſit: quia hominũ ille naturam,ingenia,mores artificioſè cumprimis depingit, eorundemque comparationes inſtituit egregias: quia in iudicando eſt liberrimus: quia res geſtas nõ nudè ſolùm exponit,verùm etiam earundem ſimul cauſas & rationes indicat: & hæc quidem omnia orationis genere præſtat breuiſsimo. Nec negligendi interim & alij: L. Florus breuitate eleganti & perſpicua doctis gratus: Cornelius Tacitus, Appianus, Amainus Marcellinus, Eutropius, Carolus Sigonius. Habent & Veneti Marcum Antonium Sabellicũ, & Iuſtinianũ, & Blondum, & Contarenum,& Bembum,qui quàm proximè ad Iulium Cæſarem accedere videtur. Germaniæ etiam,vt & aliarum nationum ciuitates pręcipuas ſua in Coſmographia Munſterus perſecutus eſt. *Salluſtius.* *Reſpublica Veneta.* *Reſpublica Germaniæ.*

Verùm non ciuitatum modò & Rerumpublicarum ſunt ſcriptores legendi: ſed etiam cognoſcendi ij, qui imperioſorum populorum, regnorum, imperiorum initia, incrementa, gubernationes deſcripſerunt. Habent Græci Arrianum, Curtium,Plutarchũ, Diodorũ, Polybium, Appianum, Iuſtinum. Romani Dionem Caſsium,Herodianum,Nicephorum, Zonaram, Nicetam. Et inter Latinos: Suetonium, Cornelium Tacitum, Velleium Paterculum, Ælium Lampridium, Iu- *Hiſtorici & de regnis variis ſcripſerunt.* *Græci ſcriptores.*

lium Capitolinum, Ælium Spartanum, &c. Inter recentiores quoque: Sabellicum, Egnatium, Iouium, Cuſpinianum, aliosque plurimos. Galli, Paulum Æmilium, Philippum Cominæum, Ioannem Trithemium, Ioannem Ferronium, Ioannem Tilium. Angli, Polydorũ Virgilium, Paulum Iouium, Georgium Lilium. Scoti, Hectórem Boethum. Hiſpani, Franciſcum Tarapham, Rodericum Palentinum. Dani, Saxonem grammaticum, Albertum Crantzium. Sueci, eundem, & Ioannem Magnum Gothum Vpſalenſem Epiſcopum. Vngari, Turotium, Bonfinium, Soiterum. Boemi, Dubrauium & Æneam Syluium. Poloni, Martinum Cromerum, Matthiam Michæum. Alios alij: quos legere iucundum, vtile etiam non raró ac neceſſarium eſt.

Regum atq; Principum, qui res deſcripſerunt. Iam veró Regũm atque Principum illuſtrium ſi quis cognoſcere res geſtas cupiat: poſt ſacrorum librorum hiſtorias, in quibus ſummorum Regum atque Principum res geſtæ continentur deſcriptę, Herodotus primò occurret: qui Cyri aliorumque Regum ad Xerxis vſq; bellum res geſtas literarum monumentis conſignauit. Huic deinde Diodorus Siculus ſuccedet: qui Philippi Macedonis, Alexandri Magni & reliquorum, qui hos ſunt ſecuti, res geſtas notauit. Et Arrianus Nicomedienſis, qui Alexandri Magni Xenophontæo more eſt vitam complexus. Et Plutarchus,

tarchus, qui de illuſtribus cùm Græcis, tùm Romanis egit, ſummeque futuro politico atque oratori vtilis eſt: propter res quas tractat præclaras: propter ſententias graues: propter liberum atque ſolutum de virtutibus & vitiis, etiam ſummorum virorum iudicium. Et Q. Curtius, qui de rebus geſtis Alexandri Magni libros aliquot poſteritati reliquit. Et C. Suetonius Tranquillus, qui primorum duodecim Cæſarum vitas: orationis generè breui: παῤῥησίᾳ laudabili deſcripſit. Herodianus Alexandrinus, cuius octo hiſtorici libri à M. Aurelij morte ad Gordianum vſque iuniorem extant. Vt ſilentio interim alios prætercam, qui noſtra partim, partim maiorum noſtrorum memoria Imperatorum, Regum, Principum vitam resque præclarè geſtas magna cum laude ad poſteritatē tranſmiſerunt. Neque enim inſtituti mei nunc eſt, hiſtoricos omnes recenſere: ſed de Ciceronis, optimi ſcilicet dicendi magiſtri, ſententia oſtendere, quinam legendi iis, qui aliquo inter oratores eſſe loco atque numero, recteque ſuo fungi munere & officio cupiunt.

Reliquum nunc eſſe videtur: vt promiſsi memor, etiam de poëtis agam. *De lectione poetarum.*

Aut prodeſſe volunt: aut delectare poetæ:
Aut ſimul & iucunda & idonea dicere vitæ.

Itaque tria poetarum conſtituenda genera: vnum eorum, qui proſunt tantùm, non delectant: alterum, qui delectant, ſed nō docent:

tertium illorum, qui vtrumque præſtant Legendi verò illi maximè, qui ſimul & proſunt, & delectant. Inter quos principem locum *Homerus.* meritò Homerus obtinet: de quo Hermogenes ἀρίστη, inquit, ποιήσεων ἡ ὁμήρου: καὶ ὅμηρος ποιητῶν ἄριστος: φαίην δ' ἂν ὅτι καὶ ῥητόρων καὶ λογογράφων: poeſis optima eſt Homeri: & Homerus poetarum optimus: poſſem etiam dicere eum oratorum atque ſcriptorum optimum eſſe. Et ſanè ſi præcepta oratoria nulla extarent: ex hoc ſolo ars conſtitui haud difficulter poſſet: quòd omnia apud illum dicendi genera: omnia ornamenta: omnis generis πάθη, affectus, aliaque plurima reperiuntur, quæ oratori futuro vtilia ſunt & neceſſaria. Egregius deinde *Heſiodus.* Heſiodus poeta eſt: ſed prodeſſe tantùm: non etiam delectare videtur: ſententias habet ἠθικὰς, moratas, graues, vtiles: ſed eas orationis genere tenui atque ſimplici propoſitas: ſine ornatu: ſine amplificatione: ſine animorum inflammatione atque perturbatione. Quo loco etiam habendi: Pythagoras, Theognis, Phocylides: qui γνώμας ſententias habent præclaras: ſed nudè & ſimpliciter expoſitas: habent, vt Diomedes vocat Grammaticus, ἀγγελτικὰ carmina. Et hi quidem non negligendi ſunt ab oratore futuro: verùm his præferendi ſcriptores cùm Comici tùm Tragici: cuiuſmodi ſunt apud Græcos Ariſto- *Ariſtophanes.* phanes, Euripides, Sophocles. Habet Ariſtophanes quædam ridicula turpicula; ſed interim

rûm eundem ſententiarum crebritas: inuentionis varietas: Atticæ linguæ puritas: dicendi libertas & mordacitas quædam: lepôres, ſales, argutiæ commendant. Euripides verò propterea ab oratore legendus eſt: quia ſententiæ in eo graues, eæque crebrò reperiuntur: ita quidem, vt ſingulos eiuſdem verſus ſingulas ſibi ſententias videri Cicero ſcribat. Neque ſanè mirum eſt: tot tamque graues in Euripide ſententias reperiri: cùm ex Anaxagoræ ille atque Socratis ſummorum philoſophorum Scholis prodierit. Deinde orationis genere dulci, ſuaui, preſſo: affectibus cùm aliis, tùm verò magis popularibus, & ad miſericordiam cumprimis accommodatis vtitur. Vnde in arte poetica Ariſtoteles τραγικώτατον eſſe Euripidem ſcribit: quia ſcilicet tragicè prorſus, id eſt, luctuoſè, flebiliter, ad excitandam commiſerationem, & lachrymas excutiendas aptè loquitur. Et Quintilianus in Inſtitutionibus ſuis oratoriis iis qui ad agendum ſeſe comparant vtilem maximè Euripidem affirmat: quòd ſermone is magis oratorio generi accedat: & ſententiis denſus: & in iis quæ à ſapientibus ſunt tradita, penè par ipſis: & in dicendo atque reſpondendo cuilibet eorum qui in foro fuerunt diſerti, comparãdus. Sophoclis autem minimè negligenda lectio eſt: propter genus orationis grande, ſublime, copioſum: propter ſententias graues, maximè de magnorum princi-

Euripides.

Sophocles.

pum & regum conditione : de pœnis ſcelerum: vt impietatis & ſuperbiæ in Aiace: parricidij in Electra: adulterij in Oedipo tyranno & Colonæo ; propter denique affectus, ſed graues, vehementes, acres.

Latini poetæ. Atque hæc quidem de Græcis poetis ſint dicta. Inter Latinos verò, quin primæ ſint Virgilio partes tribuendæ, nemo opinor dubitat: *Virgilius.* in quo omnia ea reperiuntur: quæ non in poeta ſolùm commendari: verùm etiam oratore requiri ſolent. Siue enim in inueniendo acumen ſpectemus: ſiue prudentiam in collocando conſideremus: ſiue in elocutione proprietatem, puritatem, elegantiam intueamur: ſiue numerorũ perpendamus concinnitatem: ſiue varia τῶν παθῶν affectuum genera propoſita habeamus: ſiue denique imitandi rationem ob oculos conſtituamus, prudentem, eruditam, tectam; omnia magna, præclara, ſingularia, admiratione digna hoc ſeſe in poeta offerunt. Huic poſt addendus *Ouidius.* Ouidius eſt: non ſolùm propter orationis puritatem, elegantiam, perſpicuitatem, facilitatem; affectus etiam mitiores atque leniores: verùm etiam res quas tractat, egregias, de veterum inſtitutis, moribus, ſacris, & aliis: & fabellas, in quibus ſemper aliquid vel ex hiſtoricis, vel phyſicis, vel ethicis depromptum continetur. Et Ciceronem nouimus, tùm orationes ſuas, tùm reliqua volumina fabulis quaſi quibuſdam gemmis exornaſſe. Neque

que

que negligendi interim alij: Horatius, cuius *Horatius.* verè latina, pura, venuſta oratio: plena iucunditatis & gratiæ: verbis atque ornamentis varia. Tibullus, poeta cultus cumprimis *Tibullus.* ac nitidus: in ſententiis mollis & iucundus: in elocutione facilis: quem carminum ſuorum iudicem ac cenſorem Horatius conſtituit. Perſius, breuis quidem & obſcurus: ſed *Perſius.* propter rerum varietatem lectione dignus. Propertius, fabulis & hiſtoriis refertus. Iu- *Propertius.* uenalis, in ſententiis acer: apertus & perſpi- *Iuuenalis.* cuus in oratione. Martialis, cuius laſciuiuſcu- *Martialis.* la ſanè nonnulla, & turpicula ridicula: ſed multa ingenioſa, acuta, ſalis & candoris plurimum habentia. Lucanus, qui oratori vtilis *Lucanus.* maximè videtur, propter oratorias virtutes, & ornamenta præclara, & conciones maximè deliberatiui generis graues atque artificioſas. Lucretius author purus, nitidus, ele- *Lucretius.* gans: licet Epicuri ille dogmata defendat.

Ad Tragicos verò & Comicos quod atti- *Tragici et Co-* net: vnicum in latina quidem lingua Sene- *mici latini.* cam habemus: qui & rerum atque ſenten- *Seneca.* tiarum grauitate ac vbertate: & orationis *Plautus.* ſplendore atque magnificentia, græcis ſcriptoribus minimè cedere videtur. Comici qui extãt duo ſunt, lectione digniſsimi: Plautus & Terentius. Etſi enim antiqua in illo & inuſitata ſint bene multa; tamen ſermone præſtat familiari, quotidiano, proprio, latino. Et Plautino ore Muſas locuturas, ſi latinè

loqui vellent, vulgò credebatur. Deinde τὸ πρέπον decorum obſeruat in effingendis moribus atque ſtudiis hominum, maximè vulgarium. Tum etiam in iocis, ſalibus, facetiis *Terentius.* mirabilis eſt. Terentio verò ipſe Cicero ſummam laudē tribuit: ſuas etiam phraſes eiuſdem defendere authoritate non dubitat. Itaque legendus ille eſt, propter ſermonis proprietatem, puritatem, latinitatem, familiaribus colloquiis accommódatam. Et vt nihil de aliorum ego nunc clariſsimorum doctiſſimorumque virorum ſententiis atque ſcriptis dicam: vel ſummi illius viri Eraſmi familiaria colloquia longè vtiliſsima ſatis oſtendunt: quantus in ſermone, de rebus quotidianis & familiaribus inſtituto, Terentij vſus ſit.

Quo, & modo, & ordine Authores boni legendi.

CAP. IX.

PAucis cur & quibus potiſsimùm ex authoribus eloquentię ſint copiæ parandæ: oſtendere conatus ſum. Reliquum eſt: vt quo modo & ordine eorundem lectio inſtituenda, planum fiat. Iam enim dudum vereor: ne illud quis mihi poetæ obiiciat:

——Sed vos ſæuas imponite leges.
Vt præceptori verborum regula conſtet:

Vt

Vt legat hiſtorias: authores nouerit omnes
Tanquam vngues digitosq́ ſuos.

Neque tamen τῶν ἀδυνάτων hoc vnum eſſe videtur, quod plerique arbitrantur in vitæ huius noſtræ breuitate: in imbecillitate ingenij: in negotiorum multitudine atque varietate, authores præclaros cognoſcere: vtilia etiam inde deſumere: ſi modus teneatur & ordo: non in ſtudiis ſolùm: verùm etiam aliis rebus omnibus neceſſarius.

Ad comparandam ergo variis ex authoribus multiplicem rerum cognitionem atque ſcientiam, tria potiſsimùm requiri videntur: φιληκοΐα, audiendi cupiditas: ἀνάγνωσις, lectio: σύζητησις, communicatio: vt futurus ſcilicet orator eos qui docent audiat: vt legat ipſe: vt libenter, ſed adhibito iudicio, ſua cum aliis communicet. *Tria ad comparandā rerum cognitionem neceſſaria.*

Ad primum ergo quod attinet, in doctore eo, quem futurus eſt auditurus orator, primùm νόησις, intelligentia requiritur: deinde κοινωνία, communicatio: vt quæ intelligit, non celet, ſed diſcipulis ſuis communicet: tum μέθοδος, vt ſine obſcuritate, difficultate, ambagibus vllis, vera, non falſa, non abſurda, non â pietate & honeſtate aliena, vel ignorantia quadam, vel ambitione tradat: in his denique omnibus nō ingenij aliquam oſtentationem, aut voluptatem: ſed diſcipulorum commoda ſpectet. Ita & auditorum partes ſunt quædam; vt amore ſcilicet cùm rei quæ *Præceptoris boni notæ et conditiones.* *Auditorum quænam in audiēdo partes.*

tractatur, tùm præceptoris teneantur: vt animo ad audiendum libero, ſoluto, tranquillo accedant: vt præmeditati & parati antè accedant: vt ad audita conſiderationem diligentem & meditationem adhibeant.

Lectio domeſtica & priuata quo pacto inſtituenda.

Verùm quia non ſatis eſt audire alios docentes: & audire diligenter, ſedulò, conſtanter: ſed & hoc requiritur: vt domeſtica ac priuata lectio accedat: ad eam rectè, vtiliter, feliciterque inſtituendam: non ingenio ſolùm bono, & ſtudio atq; diligentia: verùm etiam ordine eſt opus: vt ſcilicet nec promiſcuè omnia, nec præpoſterè legamus & cognoſcamus. Sunt quædam ſummè neceſſaria, ideoq; nunquam intermittenda: alia eiuſcemodi, vt ea deguſtare, delibare, legere ſemel ſufficiat. Qui enim forum, qui curiam, qui Eccleſiam ſpectant: non tantum ad cognoſcendos & legendos authores ſibi temporis ſumere poſſunt, quantum ſumunt ij, qui certo aliquo ſtudio contenti, illud vnicum excolunt & profitentur. Scribit quodam in loco Cicero: tribus ſeſe menſibus Iureconſultum fieri poſſe. Veri illud ſimile non videtur: cùm ſtudium longè lateque ſit diffuſum, ac propè infinitum. Sed non *ἀδύνατον* illud eſt: ſi fontes videantur: ſi ad certa eiuſdem ſcientię capita omnia reuocentur: ſi partes præcipuę, definitiones, diuiſiones, *καταλήψεις* cognoſcantur: omittantur alia quæ ad doctores & profeſſores pertinere videntur. Itaque legendi

philoſo-

philoſophi: cognoſcendi hiſtorici: non negli- gendi poetæ: ſed aliquo ſunt modo legendi: non omnino, perfectè, abſolutè: tempeſtiuò etiam & maturè de certo vitæ genere inſtituenda deliberatio. Sunt quædam in philoſophia quę Theologo futuro magis proſunt: plus alia vtilitatis politico & Iureconſulto adferunt: nonnulla magis medico ſunt accommodata. In quibus generalia ſunt capita cognoſcenda: diſputationes ſubtiles amputandæ quæ neceſſariæ iis, qui in certa aliqua conſeneſcere arte cupiunt.

Modus in legendo tenen- dus.

Deinde in authorum bonorum lectione etiam temporis eſt & ætatis ratio habenda: nec omnes vno eodemque tempore legendi: ſed quidam ad annos maturiores reſeruandi. Itaque ab adoleſcentibus, qui legere authores volunt probatos, initio cognoſcendi erunt optimi quique, candidiſsimi, politiſſimi: qui puritati atque elegantiæ inſeruiunt: qui ſtylum elegantem, purum, latinum habent. Cuiuſmodi ſunt in latina lingua Cicero, Terentius, Cæſar: in Græcis Iſocrates & Demoſthenes. Pôſt verò vbi ætas maior, magisque confirmatum iudicium fuerit: tũ demum etiam ad reliquos ſcriptores eſt accedendum. Quemadmodum enim qui in Sole ambulant, etſi non propterea ambulant, vt nigrorem contrahant: nihilo tamẽ minus colorari ſolent: ita & adoleſcentes iudicio nondũ confirmato præditi, etſi magis de rebus ſunt

Aetatis in legendo ratio habenda.

Qui primò ab adoleſcentibus autho- res legendi.

quàm verbis ſoliciti:tamen etiam in ſtylo aliquid ex varia authorum variorum attrahere lectione conſueuerunt.

Ordo in lectione authorum obſeruandus.

Tertiò, ordine quoque in confirmata eſt opus ætate, vt diſtinctè & ſua quæque loco, non confuſè legamus: ne varia atque tumultuaria lectione occupatis nobis idem accidat, quod iis qui peregrinantur, vſu venire videmus: vt multis hoſpitiis, nullis amicitiis vtantur. Ordinem autem in eo poſitum arbitror: vt propter rerum obſcuritatem, & multitudinem præceptorum, & ingeniorum hebetudinem, à compendio aliquo initium fiat, & quidem eo, quod (vt ſuprà monui) quàm proximè ad fontes ipſos accedat: & perſpicuum atque ad vſum maximè accommodatum ſit. Quale in hiſtoriis Chronicon Philippi eſt: cui deinde ſubiungendi alij libri hiſtorici eo ordine, quem ſuperiori in capite indicare conatus ſum. In philoſophicis verò cognoſcendi primùm ij, qui magis populariter, & ad hominum captum accommodatè ſcripſerunt: addendi pòſt illi, qui diuiniora magiſque recondita philoſophiæ myſteria tractârunt. Vnde facilè, opinor, intelligitur, in philoſophia legenda priori loco Ariſtotelis, deinde Platonis ſcripta eſſe. Plato enim quaſi Sol philoſophiæ ὤν, res diuinas & cœleſtes, & obſcuras magis pſequitur, ideoque maturum atque exercitatum ingenium requirit. Ariſtoteles verò tanquam Luna naturalia

turalia & ciuilia, & ad hominum non modò captum, verùm etiam vſum accommodata tradit.

Iam verò vt varia variarum rerum ſcientia ex authoribus probatis comparetur, præter auſcultationem & lectionem etiam συζητήσεις, communicatio ſtudiorum requiritur. Habuerunt, vt ex Cicerone apparet & aliis, Romani diſcendi commoditates cùm alias, tùm quòd ſeruos ſecum aluerunt, & librarios doctos, linguarum atq; artium peritos. Hac nos deſtituti hodie occaſione, ſtudiorum communicatione, & operarũ diſtributione vtemur. ὁμιλίαι enim vt pepererunt: ita conſeruant artes: modò ratio in iis primò ætatis: deinde generis ſtudii: tùm eruditionis & doctrinæ: quartò concordiæ: poſtremò diligentiæ atque induſtriæ habeatur. Horum enim quinque vnum aliquod deſideratum ſi fuerit: vtilis, iucunda, conſtans, firma, diuturna communicatio eſſe non poterit. Sed eſt & alia communicandi ratio, quæ cum doctioribus inſtituenda: & obſeruanda à minus ſolertibus ingenioſis, doctis, otioſis: vt cùm ſcilicet flagitat neceſsitas, & verba ſunt nobis facienda de iis, quæ non plenè cognita perſpectaque habemus, aut obſcura ſunt & controuerſa: alios, qui ea & intelligunt, & docent, atque profitentur, conſulamus. Et hæc ipſa communicandi ratio à Cicerone libro de Oratore primo laudatur. Neque turpe i-

Communicationes συζητήσεις ſtudiorũ inſtituendæ.

In συζητήσει quæ ſpectanda.

Communicationes cum doctioribus inſtituendæ.

dem ſibi duxit, ſi quis in iure locus aut obſcu rus, aut controuerſus incidiſſet, Scæuolam conſulere. Neq; Plato de ſacræ aræ apud Delios duplicandæ modo atque forma conſultus, eos ad Euclidem geometram ablegare dubitauit. Et hoc ſanè nomine felices ſunt & beati cenſendi ij, qui vel in Academiis, vel in vrbibus celebribus viuunt: vbi ſemper audiendi & conſulendi viros doctos atque pru dentes facultas conceditur.

De iudicio in bonorum Authorum lectione adhibendo.

CAP. X.

TRibus potiſsimùm rationibus: auſcultatione, lectione, communicatione variarum & præclararum rerum cognitionem atq; ſcientiam comparari oſtenſum eſt. Reſtat de iudicio vt agatur: quod in bonorum authorum lectione adhibendum. Non ſanè temeritas eſt atque leuitas probanda eorum, qui quę ab aliis ſunt tradita, etiam non lecta, aut ſaltem non intellecta, contemnunt, carpunt, damnant, reiiciunt. Sed neque illi laudandi ſunt, qui ſine iudicio ſuperſtitioſè admittunt, probāt, commendant, mirantur omnia. Placet illud Horatij:

Iudiciū quare in bonorum authorum lectione neceſſarium.

Sunt delicta tamen, quibus ignouiſſe velimus.

Nam

*Nam neque chorda ſonum reddit, quem vult ma-
nus & mens,
Poſcentiq; grauem perſæpe remittit acutum.
Nec ſemper feriet, quodcunq; minabitur arcus.
Verùm vbi plura nitēt in carmine: nō ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.*

Nihil enim proprium magis homini, q̃ labi & errare. Etiā docti viri ingeniis ſæpè ſuis indulgent: ſcripta ſua, vt ex ſeſe natas filiolas, exoſculantur: nōn eandē ſemper diligentiā adhibent: aliquādo etiā longo magnoq; in opere fatigātur: &, quod de Homero Horatius ſcribit, dormitare incipiunt. Itaq; iudicio hîc eſt, ac diligentia opus: ne aut temerè omnia ꝓbemus, aut propter partē aliquam, labecula quadā infectam, authorē totum reiiciamus.

Sunt igitur hiſtorici legendi: cognoſcendi poetæ: philoſophi nō negligendi: ſed ſunt cum iudicio legendi: inque his conſideranda tria: res quæ tractantur: orationis genus: ἐργασία denique tractandi via & ratio. Et quidem ad hiſtoricos quod attinet: primùm leges eorundem diligēter ſunt conſiderandæ, & in legendo adhibendę. Harum verò prima ἀληθείας veritatis eſt, ne quid falſi ſcribatur: altera παῤῥησίας, ne quid veri ſilētio tegatur: tertia ἀπαθείας. ne qua in ſcribendo vel gratiæ, vel ſimultatis ſit ſuſpicio. Itaque ſi quid legibus hiſce repugnās & contrarium deprehenſum: non admittendum, aut probandum,

Iudicium in hiſtoricorū lectione cur adhibēdum.

Hiſtoricorū leges.

ſed reiiciendum erit. Hinc Diodorum Siculum, & Herodotum quidam hiſtoricos reprehendunt: quòd narrationes multas habeant, quæ fabulis, quàm hiſtoriis ſimiles eſſe magis videntur: licet προδιασκευαὶ gratia quædam præmittantur. Et in eorum, qui Imperatorum, Regum, Principum res geſtas vitasque deſcripſerunt, eſſe quoſdam numero arbitrantur: qui vitia atque flagitia tegant, elatè nimis & amplificatoriè virtutes celebrent.

Hiſtoricorū genus orationis. Genus verò orationis in hiſtoriis maximè purum, perſpicuum, latinum: non, vel prolixitate & copia nimia ingratum, vel aſperum compoſitione: vel breuitate obſcurum commendatur. Hinc Liuij ſunt, qui copiam reprehendunt: & Salluſtij improbant obſcuritatem: & de Thucydidis nonnulli ſententiis breuibus ac conciſis: verbis duris aſperêque tranſlatis: ſtructura denique & collocatione queruntur.

In poetarum lectione cuiuſmodi iudicium adhibendum. Eodem modo etiam de poetis iudicium eſt faciendum: qui & ipſi vitia ſua habent, quæ non probare, ſed notare atque fugere, eaque in re apiculas imitari oportet. Vt enim ex ſingulis illæ floribus, quod ad mel eſt ſtipandum vtiliſsimum depaſcuntur: quod aut inutile, aut pernicioſum non guſtant, vel attingunt: ita & in poetis ſeligenda quæ vtilia, ab honeſtate & pietate nō aliena: prætereunda, reiicienda, damnanda, quæ cum iiſdem litem atq; pugnam aliquam exercere videntur.

tur. Plauti laudatores quodam in loco Horatius perſtringit:

At veſtri, inquit, proaui Plautinos & numeros
Laudauêre ſales: nimium patiēter vtrumq; (&
Ne dicam ſtultè mirati.

Et ſunt profectò fabulæ quædam illius parum pudicæ: ioci verecundi minus. Etiam apud Tibullum, Catullum, Ouidium, Martialem quædam reperiuntur: quæ legenda, vt fugiamus, non faciamus. Fabulæ porrò tùm apud hos, tùm alios leguntur, quæ pias offendere aures poſſunt: traditæ autem, vel propter πρέπον, decorum: vel auditorum ἐκπλήξεις, territationes: vel virtutis illuſtrationem videntur. In quibus non πρᾶξις, actio ipſa laudanda: ſed ars atque imitatio commendanda eſt. Qua de re eruditus Plutarchi eſt de audiendis poëtis libellus legendus. Nec etiam deſunt: in certis quibuſdam alia qui deſiderant. Notant in Seneca Tragico poeta nonnulla Quintilianus & Aulus Gellius. Lucanus neſcio quid ſonare peregrinum, & equo quibuſdam ſimilis indomito videtur: qui in campo aperto, animoſè quidem: ſed inconcinnè ſaltat. In Ouidio nonnulli non ingenium; verùm ſtudium deſiderant: amaſſe, non ignoraſſe eundem vitia ſua affirmant. Et notum illud eſt, quod de ſeipſo Triſtium libro 4. ſcribit:

Sponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam dicere; verſus erat.

Neque pauca Martialis Epigrammata reie-
cta à doctis. & ſcombris atque ſiluris inuolu-
cra ſunt relicta.

De philoſophis, quodnam iudiciũ inſtituendũ.

Philoſophorum quoque ſobriè ſunt & cum iudicio ſcripta legenda: non vt vera, & tanquam Apollinis ex oraculo edita ſumenda, arripienda, approbanda omnia: ſed ad Chriſtianam religionem, tanquam normam & regulam certiſsimam examinanda. Deinde aliis quoque in rebus cautio diligens adhibenda. Eſt difficilis Plato: ſub aliorum perſona ſententiam ſuam exponit; κρύψει, occultatione ferè ſemper vtitur. Snnt in Ariſtotele quoque non pauca breuiter, obſcureq; tradita: & à religione noſtra aliena. Itaque ſunt legenda quidem ſummorum virorum ſcripta: & legenda diligenter: ſed cum iudicio legenda: vt quæ ac quomodo tradantur, & quatenus admittenda intelligatur.

De vſu authorum variorum in dicendo & ſcribendo.

CAP. XI.

QVo & ordine & iudicio authores boni legendi ab oratore: ſuperioribus proximis capitibus dictum eſt. Reliquum eſt: vt quomodo ad vſum iidem transferendi, oſtendatur. Neque verò cognitu hoc difficile eſt: ſi oratoris officium: ſi cauſas quas idem tractat: ſi auditorum

torum conſiderare conditionem: ſi quô pacto à philoſophis, hiſtoricis, poetis idem ſeparetur, animaduertere: ſi denique ad triplicem illum lectionis finem: & ſententiarum, verborum, methodi ac tractationis notationem reſpicere voluerimus. Ad genus enim orationis quod attinet: grauiter hoc peccant tempore illi: qui inter res ipſas & orationis genus minimè diſtinguũt. Neq; quicquam eſt, quòd ſtylum magis corrumpat: quàm hæc ipſa rerum, & ſententiarum, & elocutionis confuſio. Ridentur illi, & ridentur meritò, qui ruſticum toga conſulari, aut aliquo graui perſonæ conuenienti veſtitu ornant: ſtultè etiam ſuperbi ſunt ij, qui vel bardocucullo Hiſpanico, vel veſte alia peregrina ſua in patria vtuntur. Sed non minus illi peccant: qui dum authores legunt præclaros: nulla habita, vel rerum quas tractant, vel auditorum, apud quos verba faciunt, ratione, etiam orationis genus temerè atque promiſcuè vſurpandum eſſe exiſtimant. Hiſtorias ſcribunt hiſtorici: vt poſteritati proſint: vt rem geſtam exponant: non vt in certamen cum aduerſario deſcendant, aut eundem ſuam in ſententiam pertrahant: docerè tantùm: nõ mouere lectorem cupiunt. Hinc genus adhibent orationis, fuſum, tractum, æquabiliter profluens: ſine neruis & aculeis oratoriis: ſimile aquæ per læuia, non prærupta aut ſaxoſa loca currenti. Ac tametſi apud

Diſtinguendum à rebus & ſententijs orationis genus.

Hiſtorici genus orationis.

Orationes hiſtoricorum quales.

Herodotum, Thucydidem, Liuium, Salluſtium, & alios hiſtoricos orationes quædam reperiantur: tamen breues illæ & denſæ atq; ſtipatæ: non oratorio more dilatatæ ſunt: ſumma tantùm rerum capita breuiter & remiſsè, ſine animorum motu indicata: & in ocio doctis ſunt & bibliothecis ſcripta. Oratores verò non res ſolùm nudè exponunt: verùm etiam amplificant: & neruos atque aculeos, hoc eſt, animorum motus adiungũt.

Philoſophicum dicendi genus.

Quod de hiſtoricis dicitur: etiam in philoſophis obſeruandum eſt. Platonis fuit auditor Demoſthenes: orationes ſuas meliores eſſe factas philoſophorum ſententiis Cicero ſcribit. Sed tamen minus illæ crebræ eiuſdem in orationibus apparent. Philoſophi enim in θέσεσι ſententiis & quæſtionibus infinitis tractandis ſunt occupati: oratores parcè eaſdẽ adhibent: perſonarum aliarumque circumſtantiarum προσκολλήσει, conglutinatione & μετασχηματισμῷ, conformatione occultant. Deinde philoſophi genus adhibent orationis temperatum, molle, vmbratile: non vehemens, neruoſum, robuſtum, aculeatum: non ad mouendos atque inflammandos, ſed docendos auditores accommodatum. Auditores enim doctos, qui erudiri: non, aut moueri, aut delectari cupiunt, habent: in rebus minus turbulentis diſtricti tenentur: veritatem ſolam ſpectant, eandemque tueri ac defendere cupiunt. Oratores verò apud homines plerunquè

que imperitos verba faciunt: res tractant & materias litigioſas: auditorum opiniones ac captum popularem magis, quàm veritatem & ſubtilitatem reſpiciunt. Itaque vt non docere modò: verùm etiam inflammare ac delinire eoſdem poſsint: & genus orationis diuerſum adhibēt: & de συνθήκη verborum ſtructura atq; numeris aliiſque ſoliciti ſunt. Maximè verò dant operam: ne expreſſè nimis, breuiter, ſubtiliter philoſophorum propoſitis ſententiis, exercitatio atque doctrina deprehenſa ſcholaſtica ſuſpectam orationem reddat.

Idem etiam de poetis eſſe iudicium ferendum intelligemus: ſi & originem eorum conſiderare, & ſpectare finem voluerimus. Etenim cùm res diuina ſit poeſis: nec ſine inflammatione animi, & quodam quaſi furoris afflatu poetę eſſe poſsint: maior his, quàm oratoribus licentia cōceditur: vt etiam aliis qui amore, ira, metu, aut alio aliquo motu animi turbido ſunt affecti. Deinde poetæ, licet prodeſſe etiam cupiant: tamen delectationi atque voluptati magis, quàm oratores: non etiam rarò neceſsitati inſeruiunt. Hinc maior apud eoſdem libertas in faciendis & iungendis verbis: in adhibendis peregrinis & vetuſtis: in vſurpandis audacter longeq; tranſlatis. Hinc orationis lumina atque ornamenta & crebriora, & magis apertè poſita. Quibus quidem omnibus moderatiùs, rariùs, te- *Poeticū orationis genus.*

ctiùs vtitur orator: propterea quòd non tàm delectare, quàm docere & mouere auditores ſuos cupit. Ita ergo ex poetis, philoſophis, hiſtoricis res erunt & ſententiæ petendæ: vt orationis interim genere alio eaſdem quaſi veſtiamus atque exornemus: neque inconcinnam & impuram orationem reddamus.

Res & ſententiæ præclaræ ex autoribus petitæ, quo pacto ad vſū trāſferendæ.

Præter verò orationis genus etiá illud conſiderandum, quo pacto res illæ atq; ſententiæ, quæ in authoribus præclaris reperiuntur, ſint ad vſum transferendæ. Videmus ſæpenumerò literatis atq; doctis indoctos præferri, & magis populo placere. Et notú illud eſt Euripidis: οἱ ἐν σοφοῖς φαῦλοι, παῤ ὄχλῳ μουσικώτερον λέγουσι. Cauſæ rei huius, cùm aliæ, tùm iſtæ adferri poſſunt: quòd docti τὰ πόῤῥωθεν, longè remota: γενικὰ καὶ καθόλου, generalia & vniuerſalia: νοητὰ, mente percepta adhibent: cùm inepti contrà atq; indocti ea ſumant, quę vicina: quæ ſingularia: quæ ſenſibus ſubiecta.

Quare indocti magis ſæpe populo, q̃ docti placeant.

Quoniam ergo oratoris hoc eſt munus & officium, videre vt orationem nō ſolùm grauem, verùm etiam ornatam, & auditorum accommodatam mentibus adferat: ita authorum bonorum ille in dicendo ſcripta vſurpabit: vt quæ ab imperitorum procul captu remota, relinquat: ſumat propinqua & ſingularia: & à re ac quæſtione propoſita non aliena. Quæ énim talia non ſunt, quia minimè intelliguntur, aut rideri ab imperitis, aut magno audiri cum tædio atq; faſtidio ſolent.

Deinde

Deinde cùm in philoſophorum aliorúmque ſcriptis multa occurrant, quæ non æquè omnibus probantur: etiam atque etiam conſiderandum eſt, quænam auditoribus probentur in præſenti cauſa, aut iudicibus, aut iis quorum ſentẽtiam & authoritatem ſequi Iudices atque Magiſtratus videntur. Vnde facile, opinor, intelligitur, quęnam ſint illa, quę apud imperitos atque indoctos auditores ab oratore nõ proferenda. Cuiuſmodi primùm Stoicorum aliorumque ſunt παράδοξα, hominum opinionibus contraria & repugnantia. Deinde diſciplinarum theoremata ac problemata, quæ etſi demonſtrari poſsint: tamen locum apud imperitos & indoctos non inueniunt. Tum quæ Reipublicæ ſunt genere prohibita, ideoque in medium allata damni plus & incommodi, quàm vtilitatis atque emolumenti adferre ſolent. Diſputantur à philoſophis multa de Rerumpublicarum generibus: de ſtatu populari: de imperio paucorum, de optimatum principatu: de vnius dominatione: quæ tamen non temerè ſunt & promiſcuè in orationibus vſurpanda. Neque enim ſecunda ille concione vtetur, qui democratiam apud populum reprehenderit: nec Regibus atq; Principibus is placebit, qui eandem monarchiæ prætulerit. Et ſunt quędam vitia ita inueterata, longoque temporę confirmata: vt magno ſine periculo vituperari ab oratore nõ poſsint. Hinc præclarè lib,

Sentẽtiæ adhibẽdæ, quæ auditoribus probantur.

Quænam apud imperitos & indoctos ſententiæ non adhibendæ.

Philoſophorum dogmata & ſententiæ quomodo vſurpandæ.

Rhetoricorum primo Ariſtoteles monet: ante omnia conſiderandum eſſe oratori, quanam in Republica viuat: quæ eius ſit forma: quis finis propoſitus: quæ ad finem illum leges, inſtituta, mores ſpectent. Craſſus etiam libro de Oratore primo, cognoſcendam ab oratore eſſe ſcribit imperij cauſam: ſenatoriam conſuetudinem: Reipublicæ diſciplinam: iura ſociorum, fœdera, pactiones. Ita ex hiſtoricis exempla ſunt ſumenda, quæ & docent propter authoritatem, & delectant cùm propter ſimilitudinem, tùm quia rem propè facileque commonſtrant. Sed cùm vetuſta ſint alia, noſtraque à memoria remota, alia recentia: peregrina alia, alia *οἰκεῖα*, domeſtica, authoritatem quidem illa minimè exiguam habent: verùm magis ea quæ recentia ſunt & noſtræ patriæ atque nationis, mouent. Deinde, cùm exempla non vera modò ſint, verùm etiam ficta atque fabuloſa: vera in deliberationibus potiſsimùm grauioribus, apud prudentes & doctos plurimùm valent, qui ex præteritis de futuris iudicium faciunt: ficta verò & fabuloſa locum maximè in *δημηγορίαις* habent, & conuentibus iis, quibus illiterati homines interſunt. Non enim doceri ſolùm tales, verùm etiam delectari cupiunt: & libenter proferri ea audiunt, quibus delectantur, & quotidie dant operam. Hinc fabulas de canibus & beſtiis magna cum voluptate venatores audiunt: & de bobus, equis, agris,

Hiſtoricis q-bus & quomodo vtendum.

agris, hiſque ſimilibus rebus allatis apologis ruſtici delectantur: & in literis ſacris parabolæ ſunt crebræ atque frequentes: quia ad imperitum erudiendum popellum cumprimis accommodatæ.

Poetarũ in dicẽdo quis vſus.

Ad poetas verò quod attinet, vt ἡδύσμασι, non ἐδέσμασι illorum eſt carminibus, hoc eſt, parcè, tectè, moderatè vtendum. Deinde in iiſdem auditorum ratio habenda. Neq; enim quæuis è poetis ſumptę ſententiæ quibuſuis placent: ſed deligendæ ſunt illæ, quæ eorum qui audiunt, moribus, ingeniis, opinionibus conueniunt.

In ἐργασίᾳ, tractatione quæ obſeruanda.

Atque hæc de rebus ipſis & ſententiis, quę ex philoſophorum, poetarum, hiſtoricorum ſumendæ ſcriptis, ſint dicta. Reſtat de tractatione earundem vt agatur: in qua diſcrimen magnum deprehenditur: iudicium requiritur minimè vulgare. Vt enim de philoſophis primùm agamus, ſententiæ apud eos crebrò ſunt aperteque nimis, ſine vel ornatu, vel ſplendore magno poſitæ. Actores enim non ſunt, ſed præceptores viuendi: docere, non mouere, aut delectare cupiunt. Oratores verò ſententiis quidem vtuntur philoſophorum: ſed per interualla hoc, non nimis crebrò faciunt. Deinde in iiſdem κρύψιν, occultationem quandam adhibent: cùm quæ breuiter, rectè, exquiſitè, ſubtiliter proponuntur, ita tractant, ornant, expoliunt: vt nec in breuitate obſcuritas noceat; nec auditorum

Diſcrimẽ inter philoſophorum & oratorum ἐργασίαν.

intelligentiæ atque memoriæ obſit ornatus & copia: omnia denique nō ex Philoſophorum Lycæis, ſed Rhetorum myrotheciis deſumpta eſſe videantur. Poſtremò ἐκφράσει, narratione atque expoſitione ſimplici contenti, rationes non ſubiiciunt: neque in vtramque partem quæ à philoſophis adferuntur, examinant. Eodem modo in παραδειγμάτων exemplorum tractatione alia ab oratore via atque ratio inſtituitur, quàm quæ apud hiſtoricos reperitur.

Diſcrimē inter hiſtoricā & oratoriā exemplorum tractationē.

Hiſtorici enim rerum, loci, temporis, perſonarum diligenter circumſtantias obſeruát, eaſdemq; omnes exprimere neceſſe habent: de ornatu non vſque adeò anxij ſunt & ſoliciti. Oratores verò non omnia, ſed præſenti ſolùm negotio accommodata tractant: ἀφηγήσει etiam, narratione atque expoſitione nuda minimè contenti, ἑρμηνείας interpretationes, ἐπικρίσεις iudicia, σχήματα conformationes, ἐπεξεργασίας expolitiones, ἐπιμονὰς commorationes adhibent: quibus omnibus, & in medium allata exempla illuſtrantur magis: & auditores docentur atque excitantur.

Poetarū ſententiæ in oratione quomodo tractandæ.

Poſtremò etiam Poetarum ſententiæ modo certo adhiberi in dicendo & tractari ab oratoribus ſolent. Sunt enim quædam ἀναίτια, quę probationem nullam requirunt, vel quia antè notæ: vel quia cum primùm proponuntur, ab auditoribus illicò intelliguntur: ideóque nuda tractari expoſitione ſolent.

Sunt

Sunt deinde aliæ, quæ rationem aliquam & confirmationem requirunt: vel quia obſcuræ ſunt: vel quia hominum opinionibus repugnant: in quibus non nuda ſufficit expoſitio: ſed rationes, aut in principio, aut medio, aut fine requiruntur.

Ad verſus denique in genere quod attinet: duobus illi modis ſoluta in oratione adhiberi vſurparique ſolent: κολλήσει, & παρῳδίᾳ. κολλήσει, cōtinuatione & agglutinatione, cùm integri in oratione verſus ponuntur: & ita ponuntur, vt συμφωνεῖν, conſoni eſſe videantur. Vbi breuitate eſt opus: ne illa ἀνάγνωσις recitatio verſuum nimis ſit prolixa: deinde ἐπαφλόσει accommodatione apta: vt cum reliquo orationis curſu bene iidem cohæreant. Παρῳδία dicitur, cùm verſus aliquam partem recitat orator: reliqua verò oratione ſoluta & oratoriis verbis perſequitur: aliquid vel addit, vel demit: ita tamen vt apta totius inter ſe ἁρμὴ ſit connexio. Duplicem hanc tractandorum verſuum rationem Hermogenes in doctrina de grauitate apta tradit: notat etiam Cicero libro de Oratore ſecundo, vbi, inter alia ſæpe, inquit, verſus interponitur: vel vt eſt: vel paululum immutatus: aut aliqua pars verſus.

Verſus poetarum in ſoluta oratione duobus modis vſurpantur.

De locis communibus: cur illi: quibus in Authoribus: quomodo inſtituendi.

CAP. XII.

Paucis quinam, quo, & modo, & ordine, & iudicio legendi, & ad vſum ſint transferendi authores, ſuperioribus proximis in capitibus oſtenſum eſt. Reliquum nunc eſſe videatur: de locis communibus hoc in capite vt agatur. Eſt enim primùm hoc vel maximè neceſſarium, propterea quòd nec libri ad manus haberi ſemper: nec in eorum quæ vel audiuntur, vel leguntur, vel meditatione acquiruntur, vel ſtudiorũ parãtur communicatione cùm mulititudine, tùm varietate memoria retineri atque cuſtodiri omnia poſſunt. Deinde magnam hæc eadem communium locorum congeſtio, comportatio, conſignatio vtilitatem adfert: vt in ſcribendo & dicendo à rebus atque ſententiis præclaris præclarè inſtructi paratique ſimus: in eorum quæ ſeſe offerunt vbertate ac copia prudenter delectum inſtituamus: maiori denique cum attentione, ſtudio, iudicio, authores bonos legamus. Tum etiam cum voluptate non parua hæc eſſe coniuncta res ſolet. Quemadmodum enim patresfamiliâs bonos atque frugi ſummoperè lætari videmus, cùm Domini benedictionem, reique familiaris incrementa depre-

Locorũ communium neceſſitas, vtilitas, iucunditas.

deprehendunt,ita quoque erectis præditi ingeniis adoleſcentes, cùm non inanes & vacuos titulos aſpiciunt, ad ſtudium atque diligentiam inflammantur.De locis ergo communibus inſtituendis,& cogitârunt ſemper, qui ad ſolidam eruditionem contenderunt: & cogitare adhuc hodie ij debent, quibus curæ cordique ſua ſunt ſtudia.

Hanc verò ad rem opus eſt φιλοπονίᾳ labore, diligentia, induſtria: opus eſt iudicio, eoque limato & exquiſito; opus eſt præmonſtratore & adiutore: opus operarum eſt diſtributione: opus eſt modo & ratione bona.Neque enim ſatis eſt, quod multi exiſtimant, confectos ab aliis & congeſtos,& completos locos habere: ſed cùm ad memoriam, tùm vſum plurimùm conducit, iis quæ ab aliis ſunt inuenta & notata, quotidie aliquid addere. Id commodè recteque vt fiat: diligenter conſiderandum eſt primùm, quid locorum indices atque tituli ſignificent. Neque enim fieri poteſt: vt ad ſuos quæq; locos referat is, qui eorundem capita & indices non probè intelligit. Deinde cogitandum & illud eſt: aliud eſſe hiſtoriam ſcribere: carmen contexere: opus aliquod conficere philoſophicum: & aliud ex hiſtoricorum,poetarum,philoſophorum ſcriptis, locos communes colligere. Illi enim perſequi & tractare omnia neceſſe habent. At orator futurus non minutim omnia in locos, ordines atque titulos, ſed ea ſolùm

Generalia quædam in locis communibus inſtituendis obſeruanda.

refert,quæ in dicendo crebrò vſurpanda:quę in conſiliis & ſenatu: in foro atque iudiciis: in laudationibus vel reprehenſionibus: in cæteris rebus humanis adhibentur: quæ denique præcipua & ſingularia. Quemadmodum enim in Regum atq; Principum viuariis non quæuis,ſed generoſa ſolùm animalia reperiuntur: & in eorundem hortis arbores ac plantæ non vulgares,ſed raræ atque nobiles conſpiciuntur: ita in locis etiam communibus inſtituendis,ea eſt moderatio adhibenda:vt ſelecta tantùm,& præcipua,& ad vſum accommodata notentur: vulgaria aut minus oratori neceſſaria omittantur. Tum & illud tædioſum planè, & impedire magis, quàm promouere negotium inſtitutum ſolet: ſi integrè ex authoribus deſcriptæ ſententiæ in locos referantur.Itaque ἀποσημειώσει,conſignatione breui tũ authoris,tùm ipſius loci, contenti eſſe poterimus. Iam verò ad ordinem quod attinet, qui in inſtituendis locis communibus obſeruandus: ita commodiſsimè titulos diſponi poſſe opinor: ſi primũ quemnam potiſsimùm in finē authores legat probatos,eloquētiæ ſtudioſus conſideret.Deinde ſeorſim atque ſeparatim locos ethicos,politicos,œconomicos,hiſtoricos,poeticos conſignet. Tum in his ipſis ordinem eum ſequatur, quem ab ipſis ſcriptoribus obſeruatum eſſe videt. Poſtremò in ſingulis & quæ affinitate quadam ac neceſsitudine coniuncta,

&

& quæ pugnantia atque contraria notet.

Etſi verò in magna iudiciorum varietate, periculoſum ſit locorum communium indices atque titulos certos præſcribere: tamen Eloquentiæ Studioſi his, ſi placuerit, vti poterunt.

In Ethicis.

I. De Hominis fine, beatitudine, eiuſdémque cauſa efficiente: vtrum DEO illa, an fortunæ, aut aliis aſsignanda: quanam in re poſita. Loci Ethici.

II. De Externorum bonorum generibus, eorundemque contrariis.

III. De Virtutis & vitij natura atque conditione in genere.

IIII. De Virtutis ortu & cauſis efficiẽtibus: quid in ea paranda, naturæ, doctrinæ, exercitationi tribuendum.

V. De Honeſtarum actionũ initiis & fontibus.

VI. De Prudentia, Calliditate, & Stultitia.

VII. De Fortitudine, & extremis eiuſdem: temeritate ſeu audacia: & timiditate, vel ignauia.

VIII. De Temperantia, eiuſdemque extremis: intemperantia & abſtinentia nimia.

IX. De Liberalitate, Prodigalitate, ſeu Profuſione & Auaritia.

X. De Magnificentia, Luxu, & Sorditie.

XI. De Magnanimitate, Stoliditate, ſeu Superbia: & Puſillanimitate.
XII. De Manſuetudine: Iracundia & Indulgentia.
XIII. De Humanitate: Blanditia: & Moroſitate.
XIIII. De Veritate & Candore: Iactantia & Diſsimulatione.
XV. De Vrbanitate: Scurrilitate, & Ruſticitate.
XVI. De Verecundia, Impudẽtia, & *Δυσωπία* pudore Subruſtico.
XVII. De Iuſtitia & pietate erga Deum, Superſtitione, & Impietate.
XVIII. De Pietate in patriã, parẽtes, liberos, aut alios ſanguine iunctos, præceptores: impietate, iniuſtitia, perfidia: nimia pietate & gratitudine.
XIX. De Gratitudine erga alios bene de nobis meritos: Ingratitudine & Gratitudine nimia.
XX. De Scelerum pœnis iuſtis: Seueritate nimia, Indulgentia.
XXI. De Contractibus: fidei nimia obſeruantia, & Perfidia.
XXII. De Magiſtratus erga ſubditos: & hõrum erga illum officio.
XXIII. De Legibus: Iure ſummo, *ἐπιεικείᾳ* æquitate.
XXIIII. De Continentia & Incontinentia.
XXV. De Voluptatibus, quæ bonæ & con

cedendæ: aut malæ & repudiandæ.

XXVI. De Amicitiæ neceſsitate, natura, diuerſitate, cauſis cùm conſeruantibus, tùm corrumpentibus.

In Politicis.

I. De Cauſis ſocietatis ciuilis finalibus. *Loci Politici.*

II. De Materia, ex qua ciuilis conſtituitur Societas & Reſpublica.

III. De Numero, qualitate & conditione eorum qui in vna eademque politia viuunt.

IIII. De Vrbis ſitu, locisque præcipuis.

V. De Matrimonio, qua illud ætate, & quibus cum contrahendum.

VI. De Educatione liberorum & diſciplina priuata: quo illa, & tempore, & modo inſtituenda.

VII. De Educatione & diſciplina publica.

VIII. De Legibus, quæ à quibus ferendæ: qua de cauſa, aut retinendæ, aut antiquandæ & abrogandæ.

IX. De Rerumpublicarum formis ac generibus variis.

X. De Monarchię natura, conditione, ſpeciebus.

XI. De Regum & Principum electione.

XII. De Monarchiæ cauſis conſeruantibus, & Regum atque Principum virtutibus præclaris.

XIII. De Monarchiæ cauſis corrumpentibus, & Regũ atq; Principũ vitiis.
XIIII. De Tyrannide, quibus illa modis cognoſcenda, & â Monarchia ſeparanda: tollenda quoque atq; euertenda.
XV. De Modo ſtabiliendi & conſeruandi Tyrannidem.
XVI. De Ariſtocratiæ natura & ſpeciebus variis.
XVII. De Ariſtocratiæ cauſis corrumpentibus: cur illa, & quomodo mutetur.
XVIII. De Oligarchiæ conditione & generibus variis.
XIX. De Oligarchiæ cauſis corrumpentibus, cùm generalibus, tùm ſpecialibus.
XX. De Modis & rationibus conſeruandi oligarchiam.
XXI. De Timocratia, ſeu Politia.
XXII. De Cauſis Timocratię, & conſeruantibus & corrumpentibus.
XXIII. De Democratiæ natura & ſpeciebus variis.
XXIIII. De iis quę Democratię ſalutaria aut pernicioſa.
XXV. De Cauſis conſtituentibus & conſeruantibus politiam bonam.
XXVI. De Mutationum & interitus Rerum publicarum cauſa generali ſeditione;

tione: quomodo illa & excitetur, & ſedetur atque tollatur.

XXVII. De Senatorio ordine, qui in eum, qua ratione, ætate, conditione cō-ptandi.

XXVIII. De variis Magiſtratuum generibus & officiis.

XXIX. De Magiſtratus virtutibus atque vitiis.

XXX. De Iudiciis: qui in Iudicum ordinē legendi: quibus de rebus & quomodo conſtituendi.

XXXI. De Iudicum virtutibus & vitiis.

In Oeconomicis.

I. De Oeconomiæ partibus præcipuis: perſonis & rebus, ſeu homine & poſſeſsione. *Loci Oeconomici.*

II. De Viri ac mulieris coniunctione & ſocietate: cur inſtituta, quas etiam ſecum illa commoditates adferat.

III. De Modo contrahendi matrimonium: quæ in vxore ducenda, conſideranda.

IIII. De Coniugum in genere officio, & legibus communibus.

V. De Mariti erga vxorem officio.

VI. De Patrisfamiliâs erga liberos officio.

VII. De Domini officio erga ſeruos, qui parandi, & quomodo tractandi: vt libenter atq; ſedulò officium faciant.

VIII. De Patrisfamiliâs officio in comparandis opibus.
IX. De Patrisfamiliâs officio in conſeruandis & augendis bonis iam partis.
X. De Vitiis, quæ fugienda iis qui ditescere cupiunt.
XI. De Officio Patrisfamiliâs in acquirẽdis honoribus, & bonorum gratia colligenda.
XII. De Officio Patrisfamiliâs in curanda atq; conſeruanda valetudine, cùm ſua, tùm ſuorum.
XIII. De Honeſtæ mulieris erga maritum officio, in rebus proſperis & aduerſis.
XIIII. De Vxoris in educãdis liberis officio.
XV. De Officio vxoris in reliqua familia eligenda & regenda.
XVI. De Matrisfamiliâs cura atque diligentia in cuſtodiendis iis, quæ à marito comparata.
XVII. De Officio liberorum erga parentes.
XVIII. De Officio ſeruorum & ancillarum.
XIX. De Conſeruanda concordia in familia tota ex diuerſis hominibus cõſtante.

Atque hi loci ſunt, qui, vt noſtra quidem fert opinio, philoſophiæ practicæ doctrinas præcipuas oratoriique neceſſarias complectuntur. Iam verò ad Hiſtoricos locos quod attinet;

Loci communes hiſtorici.

attinet: vt in legendis vetuſtatis monumentis, ita quoq; locis colligendis communibus, non omnia, ſed ea tantùm ſunt notanda, & in locos referenda: quæ ad dicendum vtilitatis aliquid adferre poſſunt. Quænam autem ſint illa, Cicero eo in loco, cuius ſuperioribus in capitibus mentionem fecimus, indicare videtur. Etenim cùm oratorem ibi futurum rerum geſtarum & memoriæ veteris ordinem, maximè verò ſuæ ciuitatis, & imperioſorum populorum, & regum illuſtrium cognoſcere velit: non opinor, incommodè loci communes hiſtorici tres diſtingui in partes poterunt: ita quidem vt in prima nationis, patriæ, aut ciuitatis noſtræ hiſtoriæ notentur, quorum ignoratio nullam admittere excuſationem videtur: in altera regum, principum, aliorumque fama illuſtrium virorum res geſtæ conſignentur: in tertia populorum imperioſorum & ciuitatum exempla obſeruentur. Vt noſtræ nationis, ciuitatis, atque patriæ expedita, facilis & vtilis ſit ἀπομνημόνευσις notatio: iidem in ἀνάλυσει reſolutione hiſtoriarum notandi loci erunt, qui in συνθέσει confectione atque compoſitione adhibiti ab authoribus fuerunt. Itaq; loci erunt:

I. De Situ & figura.
II. De Origine, & antiquitate.
III. De Soli qualitate.
IIII. De Inhabitatorum conditione.
V. De Reipublicę forma, qualis primis ex-

titerit annis : quo & tempore, & modo eadem commutata.

VI. De religione, templis, ſcholis.

VII. De Magiſtratuum, cùm ſuperiorũ, tùm inferiorum generibus.

VIII. De Legibus, inſtitutis, moribus.

IX. De Iudiciis.

X. De Rebus domi & foris, togæ & pacis, aut armorum tempore, præclarè fortiterque geſtis.

XI. De Incrementis & fortuna ſecunda.

XII. De Fortunæ inclinatione, periculis, damnis variis.

Altera locorum hiſtoricorum pars.

Altera locorum hiſtoricorum pars perſonarum fama illuſtrium erit : vt regum, principum, aut aliorum clarorum atque doctorum virorum. Vbi vt expedita, & facilis, & ad oratorium vſum accommodatè ἀποσημάσεις notatio inſtituatur, aut loci retineri Ethici poterunt, quorum paulò antè mentio à nobis eſt facta : aut alij adhiberi communes & generales, primùm de cauſis actionum humanarum efficientibus virtutibus ſcilicet: ſiue in hominum illæ ſint moribus poſitæ : ſiue mentis atque ingenij aliqua facultate collocatæ. Deinde cauſis adiuuantibus: naturę bonitate, doctrina, exercitatione : corporis quoq; & fortunæ commodis, quæ virtutum & inſtrumenta & ornamẽta eſſe ſolent. Tum conſequentibus : laude, præmiis, honoribus & his cõtrariis. Verùm ſub his ſpeciales comprehen-

prehenduntur alij, vt ad cauſas actionum efficientes pertinebunt loci.

I. De Iuſtitia religioſa: numinis diuini cultu: & huius extremis: ſuperſtitione & impietate.

II. De Iuſtitia profana, in Magiſtratus, parentes, quoſuis alios: de iniuſtitia, & iuſtitia nimia.

III. De Iuſtitia correctiua in iudiciis, pœnis, præmiis: ſeueritate nimia, & lenitate, ſeu indulgentia.

IIII. De Iuſtitia commutatiua: fidei nimia in contractibus obſeruantia & perfidia.

V. De Prudentia Senatoria in inueniendo, iudicando, conſulendo: ſtultitia & calliditate, ſeu aſtutia.

VI. De Prudentia bellica, eiusq; extremis.

VII. De Prudentia œconomica, in acquirendis, conſeruandis, augendis bonis, & eiuſdem extremis.

VIII. De Fortitudine bellica: audacia, ſeu temeritate & timiditate.

IX. De Fortitudine togata, eiusq; extremis.

X. De Temperantia: intemperantia, & abſtinentia nimia atque indecora.

XI. De Liberalitate: ꝓdigalitate, & auaritia.

XII. De Magnanimitate ſeu gloriæ ſtudio: ambitione, & puſillanimitate.

XIII. De Manſuetudine: Crudelitate, & indulgentia, ſeu remiſsione nimia.

XIIII. De Veritatis amore : arrogantia & diſsimulatione.

XV. De Humanitate: aſſentatione & moroſitate.

XVI. De Vrbanitate : ſcurrilitate, & ruſticitate.

XVII. De Verecundia: impudentia & pudore ſubruſtico *Δυσωπίᾳ*.

Ad Cauſas adiuuantes. XVIII. De Naturæ bonitate: ingenij acumine: indole præclara: indole mala: ingenij tarditate & ſtupiditate.

XIX. De Patriæ, familiæ, parentum, nobilitate, ſplendore, dignitate: obſcuritate atque ignobilitate.

XX. De Educatione bona & laudabili: turpi & vitioſa.

XXI. De Eruditione, doctrina, bonarum artium ſtudiis & inſcitia.

XXII. De Corporis exercitiis honeſtis, vtilibus, neceſſariis: aut contrariis.

XXIII. De Valetudine cōmoda & afflicta.

XXIIII. De Corporis venuſtate & deformitate.

XXV. De Fortuna ſecunda : aduerſa & calamitatibus.

XXVI. De Diuitiis & paupertate.

Ad conſequentia. XXVII. De Honoribus, gloria, nominis celebritate, & ignominia.

XXVIII. Dè Amicitia, cōſuetudine, familiaritate multorū & magnorū virorū: & deſertione, odio, maleuolētia.

Ad

Ad hoſce, vt mea quidem fert opinio, titulos omnia magnorum & clarorum virorum referri exempla poterunt.

Tertia locorum hiſtoricorum pars. Tertia & poſtrema hiſtoricorum locorum pars populorum imperioſorum, atque aliarum ciuitatum ac nationum erit: in qua eadem eloquentiæ ſtudioſis via & ratione vtetur, quam in noſtræ patriæ, nationis & gentis locis obſeruandam eſſe antè dixi. Quod enim noſtra eſt in patria, ciuitate, gente, conſiderandum: idem quoq; in aliis ſpectandum populis, ciuitatibus, nationibus erit. Itaque loci erunt de origine & vetuſtate, Reipublicę forma & cæteris, quorum in hiſtoricorum locorum parte prima paulò antè mentio facta fuit. Hæc enim ſunt, quæ in imperioſorum populorum & ciuitatum clararum atque illuſtrium hiſtoriis & obſeruari & vſurpari cōmodè poſſunt ab oratore eo, quem hac noſtra in methodo inſtituere conatus ſum. Et hæc de locis hiſtoricis inſtituendis ſint dicta.

Loci communes poetici. Iam verò ad poeticos locos quod attinet, vt rectè illi inſtituantur, finis conſiderandus erit, propter quem poetæ ab oratore leguntur. Eſt autem ille non quidem ſolus, ſed præcipuus: vt γνώμας ſententias ex poetis ſumat orator egregius: quæ aptè, decorè, moderatè in oratione adhibitæ, veluti gemmæ eandem exornant: deinde etiam probandi vim atque pondus habent. Neque hîc eloquentiæ Studioſos Platonis turbare debet

auhoritas, qui eos qui poetarum ſententiis probationis loco vtuntur indoctis atque illiteratis hominibus ſimiles eſſe affirmat, qui cum de rebus vtilibus, magnis, præclaris in conuiuiis colloqui nequeant, tibicines adhibere ſolent. De abuſu enim ille, & iis loquitur, qui philoſophicis rationibus neglectis, ad ſolas poetarum authoritates confugiunt. Sunt ergo vt legenda poetarum ſcripta, ita quoque in locos referenda communes, hoc adhibito iudicio, vt quæ in politica maximè vita vſum habent, & vel deliberationibus, vel exornationibus, vel iudiciis ſunt accommodata, deligantur. In his etiam congerendis & digerendis non diſsimilem arbitror ordinem eſſe inſtituendum ei, qui in locis hiſtoricis paulò antè à nobis indicatus fuit. Sunt enim γνῶμαι poetarum ſententiæ veluti præcepta quædam eorum exemplorum quæ in hiſtoriis reperiuntur, & commodè vtiliterque adhiberi in orationibus poſſunt. Itaque eorundem repetitione odioſa minusque neceſſaria omiſſa, ad Methodi ſuſceptæ caput quartum, & μίμησιν imitationem progrediar.

De

De Imitatione, cur illa ab Eloquentiæ Studioſis: quibus cùm in rebus tùm Authoribus: quo & modo & iudicio inſtituenda.

CAP. XIIII.

De oratoris futuri natura atque ingenio: artis dicendi præceptis: authorum bonorum lectione ſtrictim hactenus breuiterq́; dictum fuit. Reliquum nunc eſſe videtur: de imitatione vt agatur, & quibus illa in rebus atque authoribus: quo etiam modo & iudicio inſtituenda, oſtendatur. Neque enim ad eloquentiam parandam minorem huius, quàm vel naturæ, vel artis, vel ſcientiæ vim atque vtilitatem eſſe facilè is dixerit, qui res ferè omnes naturam imitari magiſtram: artes & virtutes magna ex parte & acquiri & confirmari æmulatione animaduerterit: commoda etiam multa magnaque conſiderauerit, quæ bonorum authorum ſecum adferre imitatio ſolet. Hæc enim eſt, quæ in dicendi arte tradita præcepta in memoriam reuocat, cōfirmat, ad vſum transferre docet: ſcribendi faſtidium tollit: reprimit confidentiam: ſolicitudinem nimiam adimit: naturam vitioſam emendat: bonā excolit, expolit, abſoluit, intra quaſi cancellos ſeptaq́; continet. Neque verò

Imitationis neceſſitas et vtilitas.

illud hic nobis obſtat poetæ in Celſum:

Quid mihi Celſus agit, monitus multū́q; monendus
Priuatas vt quærat opes, & tangere vitet,
Scripta Palatinus quæcunq; recepit Apollo.
Ne ſi fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum.
Furtiuis nudata coloribus.——

Obiectiones contra imitationem.

Nec ab imitandi ſtudio quenquam Quintiliani auocabit authoritas, qui pigri ingenij eſſe ſcribit, contentum eſſe iis quæ ab aliis ſunt inuēnta & tradita. Nec denique audiendi illi, qui neque pares neque ſuperiores iis quos imitamur eſſe nos poſſe, ideoque imitationem omnem negligendam contendunt. De inepta enim, puerili, & ſeruili imitatione poeta loquitur eorum qui pro ſuis aliena vendunt: nec reuera imitantur, ſed furantur. Superſtitioſam verò atque ignauam imitationem dicendi magiſter acutiſsimus taxat, qua multi aliorum inuentis contenti, ſuo, quod aiunt, marte nihil inueniunt. Neque porrò vtile minus ad optimorum præſtantiſsimorumque exempla, noſtra ſcripta conformare: licet aut pares eſſe illis, aut eoſdem ſuperare non poſsimus. Nam & victos victorum conſolatur nobilitas, dignitas, præſtantia: & vt in certaminibus, ita quoque imitatione, non modò primis, verùm etiam ſecundis atque tertiis propoſita eſſe præmia ſolent. Tota ergo mente in exempla intueri præclara, & ad eadem noſtram effingere orationem oportet.

Verùm

Verùm hac ipſa in re iudicio exacto atq; exquiſito eſt opus: vt delectus adhibeatur, & quænam quibus potiſsimùm in authoribus obſeruanda ſint atque exprimenda imitatione conſideretur. Sunt enim qui neglectis virtutibus vitia conſectantur. Ita apud Romanos eloquentiæ ſtudioſi ceruiculæ iactationem in Hortenſio: oris prauitatem & latitudinem verborum in Fimbria imitabantur. Alij promiſcuè quæuis effingere conantur, ſimiles Græcis, quorum hac in re facilitatem Iuuenalis Satyra tertia notat, & nationem totam comœdam vocat, ob hiſtrionicam imitationem. *In imitatione iudicium adhibẽdum.*

Ingenium velox: audacia perdita: ſermo
Promptus & Iſæo torrentior. Ede quid illum
Eſſe putes: quemuis hominẽ ſecũ attulit ad nos.
Grãmaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schœnobates, Medicus, Magus omnia nouit
Græculus eſuriens: ſi in cœlum iuſſeris, ibit.

Quidam facilia & leuia tantùm imitantur, vt veſtitum, ſtatum, motumque corporis: non diſsimiles iis, qui propter cultrum oblõgum, aut offam feruidam ſeſe coquos eſſe opinantur. Nonnulli quæ ἀζήλωτα & imitatione exprimi non poſſunt, in manus ſumunt. Sunt denique qui in ſola verborum elegantia, & venuſtate formularum, & ornamentis pauculis imitationem conſiſtere laudabilem exiſtimant. Nos omnibus in iis quæ eloquen-

cogitationes: frangi ſtudium: debilitari induſtriam: inconcinnam denique & diſsimilem fieri orationem neceſſe eſt. Neque verò illud quod de decoro obiicitur vnius, impedire imitationem poteſt: cùm quæ ſeſe offerre videntur, incōmoda facilè declinare queat is, qui prudenter imitationem inſtituerit, eáque obſeruârit, quæ paulò pòſt indicabuntur. Vnus porrò ille, qui ad imitandum proponendus, omnium doctorum iudicio, inter latinos Cicero eſt: qui (vt Quintilianus ſcribit) dono quodam prouidentiæ genitus fuit, vt in eo totas vires ſuas eloquentia experiretur. Vnicum ergo illum ſectari atque adumbrare conabimur, vtpote in quo ea omnia reperiuntur, quæ in perfecto requiri oratore poſſunt. Omnium enim idem inuenit acutiſsimè: inuenta diſpoſuit prudentiſsimè: diſpoſita elocutus eſt ornatiſsimè, copioſiſsimè, grauiſsimè. Summa apud eum in docendo atque confirmando ſubtilitas: vehementia in mouendo: in delectando ſuauitas. Vnus variis de rebus dixit, ſcripſit, egit: vt ſiue præcepta ſint philoſophica tradēda: ſiue cum abſentibus per literas agendum: ſiue in Senatu ſententia dicenda: ſiue ornandus aliquis apud populum: ſiue accuſationes, aut defenſiones inſtituendæ: horum omnium exempla, & quidem præclara, ſuisque numeris abſoluta, ex eodem ſumi poſsint. Vnus etiam omnibus in dicendi generibus excelluit:

Cicero ad imitandū proponendus.

luit: & , quod oratoris eſt perfecti, de rebus magnis grauiter: ſummiſſè de paruis: de mediocribus temperatè verba facere potuit: cũ ſingulis in dicendi generibus valuiſſe ſingulos: & alios ſubtiles, grandes alios extitiſſe conſtet.

Sed inutilis minimeq; laudanda imitatio erit, niſi quo & ordine, & modo, & iudicio in eadem vtendum, cognitum perſpectumque habeamus. Sunt enim qui peruerſam atque præpoſteram in imitatione viam ſequuntur: ſunt qui ineptè omnia: ſunt qui ridiculè, apertè nimis, ſeruiliter imitantur. Itaque quiſnam in imitando ordo tenendus: quis ſeruandus modus: quod iudicium adhibẽdum, oſtendam. Et quidem ad ordinem quod attinet, à facilioribus imitatio erit inchoanda, & ab his progrediendum ad difficilia. Itaque Ciceronis imitator, non integram eiuſdem illicô exprimere orationem conabitur: ſed breuem aliquam in manus primô epiſtolam ſumet: deinde ad narrationes: tùm confirmationes: pôſt reliquas orationis partes progredietur.

Vnde in imitatione initium ſumendum, & quo ordine progrediendũ.

Quemadmodum verò ordinis in imitatione eſt ratio habenda: ita quoque opera danda, vt non temerè & negligenter: ſed prudenter eadem inſtituatur. Id vt fiat, primùm non ſaltuatim atque obiter, verùm diligenter legendus iſte eſt locus, quem imitari volumus: & legendus tàm diu, donec probè à nobis

Quodnã in imitatione iudicium adhibendum.

XIII. De Monarchiæ cauſis corrumpentibus, & Regũ atq; Principũ vitiis.
XIIII. De Tyrannide, quibus illa modis cognoſcenda, & â Monarchia ſeparanda: tollenda quoque atq; euertenda.
XV. De Modo ſtabiliendi & conſeruandi Tyrannidem.
XVI. De Ariſtocratiæ natura & ſpeciebus variis.
XVII. De Ariſtocratiæ cauſis corrumpentibus: cur illa, & quomodo mutetur.
XVIII. De Oligarchiæ conditione & generibus variis.
XIX. De Oligarchiæ cauſis corrumpentibus, cùm generalibus, tùm ſpecialibus.
XX. De Modis & rationibus conſeruandi oligarchiam.
XXI. De Timocratia, ſeu Politia.
XXII. De Cauſis Timocratię, & conſeruantibus & corrumpentibus.
XXIII. De Democratiæ natura & ſpeciebus variis.
XXIIII. De iis quę Democratię ſalutaria aut pernicioſa.
XXV. De Cauſis conſtituentibus & conſeruantibus politiam bonam.
XXVI. De Mutationum & interitus Rerum publicarum cauſa generali ſeditionis;

tione: quomodo illa & excitetur, & ſedetur atque tollatur.

XXVII. De Senatorio ordine, qui in eum, qua ratione, ætate, conditione coöptandi.

XXVIII. De variis Magiſtratuum generibus & officiis.

XXIX. De Magiſtratus virtutibus atque vitiis.

XXX. De Iudiciis: qui in Iudicum ordinē legendi: quibus de rebus & quomodo conſtituendi.

XXXI. De Iudicum virtutibus & vitiis.

In Oeconomicis.

I. De Oeconomiæ partibus præcipuis: perſonis & rebus, ſeu homine & poſſeſsione. *Loci Oeconomici.*

II. De Viri ac mulieris coniunctione & ſocietate: cur inſtituta, quas etiam ſecum illa commoditates adferat.

III. De Modo contrahendi matrimonium: quæ in vxore ducenda, conſideranda.

IIII. De Coniugum in genere officio, & legibus communibus.

V. De Mariti erga vxorem officio.

VI. De Patrisfamiliās erga liberos officio.

VII. De Domini officio erga ſeruos, qui parandi, & quomodo tractandi: vt libenter atq; ſedulò officium faciant.

VIII. De Patrisfamiliâs officio in compa-randis opibus.

IX. De Patrisfamiliâs officio in conſer-uandis & augendis bonis iam par-tis.

X. De Vitiis, quæ fugienda iis qui dite-ſcere cupiunt.

XI. De Officio Patrisfamiliâs in acquiré-dis honoribus, & bonorum gratia colligenda.

XII. De Officio Patrisfamiliâs in curanda atq; conſeruanda valetudine, cùm ſua, tùm ſuorum.

XIII. De Honeſtæ mulieris erga maritum officio, in rebus proſperis & ad-uerſis.

XIIII. De Vxoris in educãdis liberis officio.

XV. De Officio vxoris in reliqua familia eligenda & regenda.

XVI. De Matrisfamiliâs cura atque diligen tia in cuſtodiendis iis, quæ à mari-to comparata.

XVII. De Officio liberorum erga parentes.

XVIII. De Officio ſeruorum & ancillarum.

XIX. De Conſeruanda concordia in fami-lia tota ex diuerſis hominibus cõ-ſtante.

Atque hi loci ſunt, qui, vt noſtra quidem fert opinio, philoſophiæ practicæ doctrinas præcipuas oratorique neceſſarias comple-ctuntur. Iam verò ad Hiſtoricos locos quod attinet;

Loci communes hiſtorici.

attinet: vt in legendis vetuſtatis monumentis, ita quoq; locis colligendis communibus, non omnia, ſed ea tantùm ſunt notanda, & in locos referenda: quæ ad dicendum vtilitatis aliquid adferre poſſunt. Quænam autem ſint illa, Cicero eo in loco, cuius ſuperioribus in capitibus mentionem fecimus, indicare videtur. Etenim cùm oratorem ibi futurum rerum geſtarum & memoriæ veteris ordinem, maximè verò ſuæ ciuitatis, & imperioſorum populorum, & regum illuſtrium cognoſcere velit: non opinor, incommodè loci communes hiſtorici tres diſtingui in partes poterunt: ita quidem vt in prima nationis, patriæ, aut ciuitatis noſtræ hiſtoriæ notentur, quorum ignoratio nullam admittere excuſationem videtur: in altera regum, principum, aliorumque fama illuſtrium virorum res geſtæ conſignentur: in tertia populorum imperioſorum & ciuitatum exempla obſeruentur. Vt noſtræ nationis, ciuitatis, atque patriæ expedita, facilis & vtilis ſit ἀποσημειώσεως notatio: iidem in ἀναλύσει reſolutione hiſtoriarum notandi loci erunt, qui in συνθέσει confectione atque compoſitione adhibiti ab authoribus fuerunt. Itaq; loci erunt:

I. De Situ & figura.
II. De Origine, & antiquitate.
III. De Soli qualitate.
IIII. De Inhabitatorum conditione.
V. De Reipublicę forma, qualis primis ex-

titerit annis : quo & tempore, & modo eadem commutata.

VI. De religione,templis,ſcholis.

VII. De Magiſtratuum,cùm ſuperiorũ,tùm inferiorum generibus.

VIII. De Legibus,inſtitutis,moribus.

IX. De Iudiciis.

X. De Rebus domi & foris, togæ & pacis, aut armorum tempore, præclarè fortiterque geſtis.

XI. De Incrementis & fortuna ſecunda.

XII. De Fortunæ inclinatione, periculis, damnis variis.

Altera locorum hiſtoricorum pars. Altera locorum hiſtoricorum pars perſonarum fama illuſtrium erit : vt regum, principum, aut aliorum clarorum atque doctorum virorum. Vbi vt expedita, & facilis, & ad oratorium vſum accommodatè ἀπομνημόνευσις notatio inſtituatur, aut loci retineri Ethici poterunt, quorum paulò antè mentio à nobis eſt facta : aut alij adhiberi communes & generales,primùm de cauſis actionum humanarum efficientibus virtutibus ſcilicet:ſiue in hominum illæ ſint moribus poſitæ : ſiue mentis atque ingenij aliqua facultate collocatæ. Deinde cauſis adiuuantibus:naturę bonitate, doctrina, exercitatione : corporis quoq; & fortunæ commodis, quæ virtutum & inſtrumenta & ornaméta eſſe ſolent. Tum conſequentibus : laude, præmiis,honoribus & his cõtrariis. Verùm ſub his ſpeciales com-

prehen-

prehenduntur alij, vt ad cauſas actionum efficientes pertinebunt loci.

I. De Iuſtitia religioſa : numinis diuini cultu : & huius extremis : ſuperſtitione & impietate.

II. De Iuſtitia profana, in Magiſtratus, parentes, quoſuis alios: de iniuſtitia, & iuſtitia nimia.

III. De Iuſtitia correctiua in iudiciis, pœnis, præmiis : ſeueritate nimia, & lenitate, ſeu indulgentia.

IIII. De Iuſtitia commutatiua : fidei nimia in contractibus obſeruantia & perfidia.

V. De Prudentia Senatoria in inueniendo, iudicando, conſulendo: ſtultitia & calliditate, ſeu aſtutia.

VI. De Prudentia bellica, eiuſq; extremis.

VII. De Prudentia œconomica, in acquirendis, conſeruandis, augendis bonis, & eiuſdem extremis.

VIII. De Fortitudine bellica: audacia, ſeu temeritate & timiditate.

IX. De Fortitudine togata, eiuſq; extremis.

X. De Temperantia: intemperantia, & abſtinentia nimia atque indecora.

XI. De Liberalitate: ꝓdigalitate, & auaritia.

XII. De Magnanimitate ſeu gloriæ ſtudio: ambitione, & puſillanimitate.

XIII. De Manſuetudine : Crudelitate, & indulgentia, ſeu remiſsione nimia.

XIIII. De Veritatis amore : arrogantia & diſsimulatione.
XV. De Humanitate: aſſentatione & moroſitate.
XVI. De Vrbanitate : ſcurrilitate, & ruſticitate.
XVII. De Verecundia: impudentia & pudore ſubruſtico *Δυσωπίᾳ*.
Ad Cauſas adiuuantes. XVIII. De Naturæ bonitate: ingenij acumine: indole præclara: indole mala: ingenij tarditate & ſtupiditate.
XIX. De Patriæ, familiæ, parentum, nobilitate, ſplendore, dignitate: obſcuritate atque ignobilitate.
XX. De Educatione bona & laudabili: turpi & vitioſa.
XXI. De Eruditione, doctrina, bonarum artium ſtudiis & inſcitia.
XXII. De Corporis exercitiis honeſtis, vtilibus, neceſſariis: aut contrariis.
XXIII. De Valetudine cõmoda & afflicta.
XXIIII. De Corporis venuſtate & deformitate.
XXV. De Fortuna ſecunda : aduerſa & calamitatibus.
XXVI. De Diuitiis & paupertate.
Ad conſequentia. XXVII. De Honoribus, gloria, nominis celebritate, & ignominia.
XXVIII. De Amicitia, cõſuetudine, familiaritate multorũ & magnorũ virorũ: & deſertione, odio, maleuolẽtia.

Ad

Ad hoſce, vt mea quidem fert opinio, titulos omnia magnorum & clarorum virorum referri exempla poterunt.

Tertia & poſtrema hiſtoricorum locorum pars populorum imperioſorum, atque aliarum ciuitatum ac nationum erit: in qua eadem eloquentiæ ſtudioſis via & ratione vtetur, quam in noſtræ patriæ, nationis & gentis locis obſeruandam eſſe antè dixi. Quod enim noſtra eſt in patria, ciuitate, gente, conſiderandum: idem quoq; in aliis ſpectandum populis, ciuitatibus, nationibus erit. Itaque loci erunt de origine & vetuſtate, Reipublicę forma & cæteris, quorum in hiſtoricorum locorum parte prima paulò antè mentio facta fuit. Hæc enim ſunt, quæ in imperioſorum populorum & ciuitatum clararum atque illuſtrium hiſtoriis & obſeruari & vſurpari cōmodè poſſunt ab oratore eo, quem hac noſtra in methodo inſtituere conatus ſum. Et hæc de locis hiſtoricis inſtituendis ſint dicta. *Tertia locorum hiſtoricorum pars.*

Iam verò ad poeticos locos quod attinet, vt rectè illi inſtituantur, finis conſiderandus erit, propter quem poetæ ab oratore leguntur. Eſt autem ille non quidem ſolus, ſed præcipuus: vt γνώμας ſententias ex poetis ſumat orator egregius: quæ aptè, decorè, moderatè in oratione adhibitæ, veluti gemmæ eandem exornant: deinde etiam probandi vim atque pondus habent. Neque hîc eloquentiæ Studioſos Platonis turbare debet *Loci communes poetici.*

auhoritas, qui eos qui poetarum ſententiis probationis loco vtuntur indoctis atque illiteratis hominibus ſimiles eſſe affirmat, qui cum de rebus vtilibus, magnis, præclaris in conuiuiis colloqui nequeant, tibicines adhibere ſolent. De abuſu enim ille, & iis loquitur, qui philoſophicis rationibus neglectis, ad ſolas poetarum authoritates confugiunt. Sunt ergo vt legenda poetarum ſcripta, ita quoque in locos referenda communes, hoc adhibito iudicio, vt quæ in politica maximè vita vſum habent, & vel deliberationibus, vel exornationibus, vel iudiciis ſunt accommodata, deligantur. In his etiam congerendis & digerendis non diſsimilem arbitror ordinem eſſe inſtituendum ei, qui in locis hiſtoricis paulò antè à nobis indicatus fuit. Sunt enim γνῶμαι poetarum ſententiæ veluti præcepta quædam eorum exemplorum quæ in hiſtoriis reperiuntur, & commodè vtiliterque adhiberi in orationibus poſſunt. Itaque eorundem repetitione odioſa minusque neceſſaria omiſſa, ad Methodi ſuſceptæ caput quartum, & μίμησιν imitationem progrediar.

De Imitatione, cur illa ab Eloquentiæ Studioſis: quibus cùm in rebus tùm Authoribus: quo & modo & iudicio inſtituenda.

CAP. XIIII.

DE oratoris futuri natura atque ingenio: artis dicendi præceptis: authorum bonorum lectione ſtrictim hactenus breuiterq; dictum fuit. Reliquum nunc eſſe videtur: de imitatione vt agatur, & quibus illa in rebus atque authoribus: quo etiam modo & iudicio inſtituenda, oſtendatur. Neque enim ad eloquentiam parandam minorem huius, quàm vel naturæ, vel artis, vel ſcientiæ vim atque vtilitatem eſſe facilè is dixerit, qui res ferè omnes naturam imitari magiſtram: artes & virtutes magna ex parte & acquiri & confirmari æmulatione animaduerterit: commoda etiam multa magnaque conſiderauerit, quæ bonorum authorum ſecum adferre imitatio ſolet. Hæc enim eſt, quæ in dicendi arte tradita præcepta in memoriam reuocat, cõfirmat, ad vſum transferre docet: ſcribendi faſtidium tollit: reprimit confidentiam: ſolicitudinem nimiam adimit: naturam vitioſam emendat: bonã excolit, expolit, abſoluit, intra quaſi cancellos ſeptaq; continet. Neque verò *Imitationis neceſſitas et vtilitas.*

illud hic nobis obſtat poetæ in Celſum:

Quid mihi Celſus agit, monitus multúmque monendus
Priuatas vt quærat opes, & tangere vitet,
Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.
Ne ſi fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum.
Furtiuis nudata coloribus.——

Obiectiones contra imitationem. Nec ab imitandi ſtudio quenquam Quintiliani auocabit authoritas, qui pigri ingenij eſſe ſcribit, contentum eſſe iis quæ ab aliis ſunt inuenta & tradita. Nec denique audiendi illi, qui neque pares neque ſuperiores iis quos imitamur eſſe nos poſſe, ideoque imitationem omnem negligendam contendunt. De inepta enim, puerili, & ſeruili imitatione poeta loquitur eorum qui pro ſuis aliena vendunt: nec reuera imitantur, ſed furantur. Superſtitioſam verò atque ignauam imitationem dicendi magiſter acutiſsimus taxat, qua multi aliorum inuentis contenti, ſuo, quod aiunt, marte nihil inueniunt. Neque porrò vtile minus ad optimorum præſtantiſsimorúmque exempla, noſtra ſcripta conformare: licet aut pares eſſe illis, aut eoſdem ſuperare non poſsimus. Nam & victos victorum conſolatur nobilitas, dignitas, præſtantia: & vt in certaminibus, ita quoque imitatione, non modò primis, verùm etiam ſecundis atque tertiis propoſita eſſe præmia ſolent. Tota ergo mente in exempla intueri præclara, & ad eadem noſtram effingere orationem oportet.

Verùm

Verùm hac ipſa in re iudicio exacto atq; exquiſito eſt opus: vt delectus adhibeatur, & quænam quibus potiſsimùm in authoribus obſeruanda ſint atque exprimenda imitatione conſideretur. Sunt enim qui neglectis virtutibus vitia conſectantur. Ita apud Romanos eloquentiæ ſtudioſi ceruiculæ iactationem in Hortenſio: oris prauitatem & latitudinem verborum in Fimbria imitabantur. Alij promiſcuè quæuis effingere conantur, ſimiles Græcis, quorum hac in re facilitatem Iuuenalis Satyra tertia notat, & nationem totam comœdam vocat, ob hiſtrionicam imitationem. *In imitatione iudicium adhibēdum.*

Ingenium velox: audacia perdita: ſermo
Promptus & Iſæo torrentior. Ede quid illum
Eſſe putes: quemuis hominē ſecū attulit ad nos.
Grāmaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schœnobates, Medicus, Magus omnia nouit
Græculus eſuriens: ſi in cœlum iuſſeris, ibit.

Quidam facilia & leuia tantùm imitantur, vt veſtitum, ſtatum, motumque corporis: non diſsimiles iis, qui propter cultrum oblōgum, aut offam feruidam ſeſe coquos eſſe opinantur. Nonnulli quæ ἀζύλωτα & imitatione exprimi non poſſunt, in manus ſumunt. Sunt denique qui in ſola verborum elegantia, & venuſtate formularum, & ornamentis pauculis imitationem conſiſtere laudabilem exiſtimant. Nos omnibus in iis quæ eloquen-

tiam conſtituunt,& verè oratoriam reddunt orationem imitatorem occupatum eſſe: nec ſolùm orationis decerpere floſculos, ſed virtutes inſpicere omnes, totamq; dicendi vim aſſequi volumus. Itaque imitator bonus, & eius quem æmulari cupit, in ſcribendo conſilium inquiret:& in inueniendo acumē notabit: & argumentorum vim atque pondus conſiderabit: & in collocatione prudentiam obſeruabit: & in elocutione non verba modò ſingula, aut ornamenta ſpectabit: verùm etiam eorundem ob oculos ſibi ſtructuram, compoſitionem, numeros, membra, periodos conſtituet: & vt decori ſit pro rerum, perſonarum, temporis, loci conditione habita ratio, perpendet: nec denique actionem, & vocis, vultus geſtusq; conformationem negliget. Quo nomine etiam ſummos oratores Ciceronem & Demoſthenem hiſtrionibus operá dediſſe: oratores etiam præclaros audiuiſſe aſsiduò: in bonis obſeruanda: in vitioſis, quæ fugienda notaſſe legimus.

Imitatoris boni officiū.

Quinam ad imitandū authores proponendi.

Iam verò etiam quibuſnam in authoribus ſit imitatio inſtituenda oſtendendum erit. Neq; ſanè dubium cuiquam eſſe poteſt, quin optimus quiſque ad imitandum proponendus: præclara ad æmulandum deligenda exempla ſint. Conſtat & illud bonitatem atque præſtátiam authorum vtilitate primùm: deinde iudicio & teſtimonio doctorum virorum maximè æſtimandam eſſe. Vnius ne ve-

rô an plurium eſſe debeat imitatio: in cõtro- uerſia adhuc & contẽtione verſari nouimus. Et quidem non in vno ſolùm, ſed multis qui excellunt, imitationẽ eſſe inſtituendam non- nulli cenſent propterea, quod in vno aliquo reperiri omnia nequeunt: quòd vnius imi- tatio cũ difficultate magna coniuncta, quòd denique orationis genus minimè diuerſis materiis aptum atque conueniens adhiberi hoc modo neceſſe eſt. Verùm, ſi quid hac in re iudicare aut poſſum, aut debeo: melius at- que vtilius in vno aliquo qui excellit, quàm pluribus imitationem inſtitui arbitror. Ne- que tamen interim alios omnes reiiciendos atque excludendos eſſe cenſeo. Aliud enim eſt res & ſentẽtias præclaras aliunde ſumere: aliud orationis genus imitari: aliud eſt deli- gere, cuius ad ſimilitudinem orationem no- ſtram conformemus: aliud neceſsitate flagi- tante extra ordinem aliquid aſſumere. Vt eru- dita, literata & ſapiens oratio fiat, à ſcriptori- bus multis multa ſunt petenda: cùm nemo omnia ſcribendo ſit perſecutus. Sæpe etiam artis vocabula propria ex Columella, Varro- ne, Catone, Plinio aliiſque probatis authori- bus ſumenda, aut parienda atq; fingenda no- ua, quibus Cicero vſus fuiſſet, ſi res ipſæ tum in natura extitiſſent. At verò venuſta atq; ex- ornata dicendi ratio meliùs, opinor, ad vnius q̃ multorum formam reuocatur: quia varie- tate & copia imitatoris diſtrahi mentem atq;

Vnius ne an plurium inſtitui debeat imitatio.

cogitationes: frangi ſtudium: debilitari induſtriam: inconcinnam denique & diſsimilem fieri orationem neceſſe eſt. Neque verò illud quod de decoro obiicitur vnius, impedire imitationem poteſt: cùm quæ ſeſe offerre videntur, incõmoda facilè declinare queat is, qui prudenter imitationem inſtituerit, eáque obſeruârit, quæ paulò pôſt indicabuntur. Vnus porrò ille, qui ad imitandum proponendus, omnium doctorum iudicio, inter latinos Cicero eſt: qui (vt Quintilianus ſcribit) dono quodam prouidentiæ genitus fuit, vt in eo totas vires ſuas eloquentia experiretur. Vnicum ergo illum ſectari atque adumbrare conabimur, vtpote in quo ea omnia reperiuntur, quæ in perfecto requiri oratore poſſunt. Omnium enim idem inuenit acutiſsimè: inuenta diſpoſuit prudentiſsimè: diſpoſita elocutus eſt ornatiſsimè, copioſiſsimè, grauiſsimè. Summa apud eum in docendo atque confirmando ſubtilitas: vehementia in mouendo: in delectando ſuauitas. Vnus variis de rebus dixit, ſcripſit, egit: vt ſiue præcepta ſint philoſophica tradẽda: ſiue cum abſentibus per literas agendum: ſiue in Senatu ſententia dicenda: ſiue ornandus aliquis apud populum: ſiue accuſationes, aut defenſiones inſtituendæ: horum omnium exempla, & quidem præclara, ſuiſque numeris abſoluta, ex eodem ſumi poſsint. Vnus etiam omnibus in dicendi generibus excel-

Cicero ad imitandũ proponendus.

lunt:

luit: &, quod oratoris eſt perfecti, de rebus magnis grauiter: ſummiſſè de paruis: de mediocribus temperatè verba facere potuit: cũ ſingulis in dicendi generibus valuiſſe ſingulos: & alios ſubtiles, grandes alios extitiſſe conſtet.

Vnde in imitatione initium ſumendum, & quo ordine progrediendũ.

Sed inutilis minimeq; laudanda imitatio erit, niſi quo & ordine, & modo, & iudicio in eadem vtendum, cognitum perſpectumque habeamus. Sunt enim qui peruerſam atque præpoſteram in imitatione viam ſequuntur: ſunt qui ineptè omnia: ſunt qui ridiculè, apertè nimis, ſeruiliter imitantur. Itaque quiſnam in imitando ordo tenendus: quis ſeruandus modus: quod iudicium adhibẽdum, oſtendam. Et quidem ad ordinem quod attinet, à facilioribus imitatio erit inchoanda, & ab his progrediendum ad difficilia. Itaque Ciceronis imitator, non integram eiuſdem illicò exprimere orationem conabitur: ſed breuem aliquam in manus primò epiſtolam ſumet: deinde ad narrationes: tùm confirmationes: pòſt reliquas orationis partes progredietur.

Quodnã in imitatione iudicium adhibendum.

Quemadmodum verò ordinis in imitatione eſt ratio habenda: ita quoque opera danda, vt non temerè & negligenter: ſed prudenter eadem inſtituatur. Id vt fiat, primùm non ſaltuatim atque obiter, verùm diligenter legendus iſte eſt locus, quem imitari volumus: & legendus tàm diu, donec probè à nobis

intellectus fuerit. Ridicula enim & inepta imitatio eius eſſe ſolet: quod aut nō intelligimus prorſus: aut nō rectè intelligimus. Deinde rei ipſius qua de agitur natura diligenter attenteq; conſideranda, eademq; cum exemplo ad imitandum propoſito conferenda eſt. Itaque parùm commodè in philoſophicis Ciceronem imitantur, qui epiſtolas contexere volunt: & qui orationes ſcribere conantur, etiam in ipſis orationibus Ciceronis dicendi genus diuerſum conſiderare debent. Aliquando enim, ſententiarum habita ratione, altiùs Orator aſſurgit: repere nonnunquam humi videtur: interdùm medium tenet. Subtilem orationis formam plerunque in narrando, probando, refutando, docendo: grandem in amplificando & affectibus mouendis: intermediam in exordiis atque ſententiis iis adhibet, quæ ad conciliandum ſunt & delectandum magis, quàm vel docendum, vel mouendum accommodatæ. Tùm & auditorum in imitando & temporis, & loci ratio habenda, obſeruandumq; quænam hiſce in circunſtantiis ſimilitudo, aut diſsimilitudo deprehendatur. Aliter enim apud Senatum loquitur Cicero: aliter cum populo agit: aliter orationes ſuas ad Cæſarem inſtituit. Itaque orationem ad Senatum habitam malè eloquentiæ ſtudioſus imitabitur: cùm ad populum eſt concio habenda: nec aptè exprimere orationem ad Cæſarem inſtitutam

tam

tam poterit, cùm in Senatu ſunt verba facienda, aut ciues compellandi. Sed nec quartò loco ſuam perſonam imitator bonus & prudens negliget: diligenterque cauebit: ne intempeſtiua atque indecora imitatione cauſæ plus obſit, quàm proſit: aut deridendum ſeſe auditoribus propinet. Póſtremò idem quoque operam dabit, ne puerilis, ſeruilis, aperta: ſed prudens, erudita, libera, tecta ſit imitatio: & ſimile, non idem planè efficiatur. Id enim, vt decorum ſeruetur, neceſſarium eſt: & prudentibus atque doctis viris placet; qui liberam & cum iudicio factam imitationem amant, probant, laudant. Itaque verus Ciceronis imitator, non ſtrictè & ſeruiliter eiuſdem veſtigia inſiſtet: ſed pro rerum, temporum, locorum, perſonarum conditione, aliquid in imitando mutabit; & κρύψιν, occultationem adhibebit: vt voluptas excitetur atque oblectatio: vitetur ſeruitus & mendicitas: furti omnis remoueatur ſuſpicio: non denique niſi à doctis imitatio deprehendatur. Id rectè vt inſtituatur, modi aliquot κρύψεως, occultãdæ imitationis, in præceptis partim, partim exemplis notati, obſeruandi erunt. Hermogenes in doctrina de grauitate apta, tres ſolùm modos tradit, quibus tegi atq; abſcondi imitatio poteſt: τάξεως μεταβολὴν, ordinis immutationem: μῆκος, magnitudinem: βραχύτητα, breuitatem. Sed plures alij, iidemq; notatu digni, in Ciceronis orationibus

Modi in imitationis κρύψει occultatione obſeruandi.

reperiuntur, quos breuiter hoc indicare in lo co conabor. Primus ergo ordinis eſt immutatio μεταβολὴ τῆς τάξεως: vt ſcilicet imitator prudens, diligens, induſtrius diuerſum ab eo ordinem inſtituat, qui in exemplo ad imitandum propoſito deprehenditur: quæ primo collocata loco, medio, aut poſtremo ponat. Secundus, τὸ μῆκος, dilatatio eſt: vt quæ breuiter ſunt & conciſè in exemplo tractata, pluribus imitator perſequatur, omniaque ea adhibeat, quæ ad dilatandam atque amplificandam orationem accommodata eſſe videntur. Huic contrarius tertius eſt modus συντομία, breuitas: vbi ad pauca reducenda & contrahenda ea, quæ prolixè ab aliis explicata: obſeruanda etiam in dicēdi genere breui à Rhetoribus præcepta tradita. Quartus ἔλλειψις καὶ ἀφαίρεσις, omiſsio & ablatio eſt eorum, quæ in exemplo ſunt propoſita. Neque enim imitator bonus, quæ apud alios inueniuntur omnia retinebit: ſed omittet nonnulla, quæ apta minus & idonea erunt. Cui oppoſitus quintus eſt modus πρόσθεσις appoſitio atque additio illorum, quæ deſiderata ab iis, quos imitari atque exprimere conamur, fuerunt. Neque verò factu hoc difficile erit, ſexto obſeruato, qui περιστάσεων, circumſtantiarum mutationem & varietatem complectitur. Mutantur enim tempora: non eædem perpetuò res manent: auditorum diuerſitas atq; diſsimilitudo eſt magna. Itaque neceſsitas hoc & τὸ

πρέπον, decorū oratorium requirit: vt ab exemplo paululum recedatur: & vel addatur aliquid, vel auferatur. Septimus in verbis, figuris, numeris, membris, periodis, exornatione tota eſt poſitus: vt quæ nudè ſunt ſimpliciterque ab aliis tractata dicendo illuſtrentur, atque ita conformentur, vt domi nata, non aliunde accerſita eſſe videantur. Atque hos modos qui diligenter obſeruârint: & imitationem tegent: & in materiis etiam ſimilibus diſsimilitudinem atq; differentiam aliquam adferent: & ποικιλίᾳ, varietate auditorum faſtidium tollent: & doctis maximè ſcripta ſua probabunt, qui vt artem, ita quoq; imitationem, non ab omnibus, ſed certis deprehendi atque intelligi volunt.

Verùm vt res hæc tota, & meliùs intelligatur, & rectiùs atque faciliùs in dicendo ſcribendoque ad vſum ab Eloquentiæ ſtudioſis transferatur, vno atque altero è Cicerone allato exemplo, quonam pacto tectè, liberè, eruditè: nō apertè, ſeruiliter, ineptè inſtituenda imitatio, indicare conabor. Et quidem primo loco ad dicendi artem & præcepta quod attinet: Cicero ipſe quodam in loco fatetur, ſe tres de oratore ſermones Ariſtotelico more confeciſſe. Videndum ergo eſt, quo pacto tectè, liberè, prudenter imitatio ſit facta. Habet Ariſtoteles libro Rhetoricorum ſecundo pulcherrimam & vtiliſsimam doctrinam de animorum motibus: eam in tria capita

Imitationis Ciceronianæ exempla.

In dicēdi arte & præceptis quomodo Cicero Ariſtotelem imitetur.

diuidit: in πάθεσι perturbationibus ſingulis, qui, erga quos, quamobrem moueantur, conſiderandum eſſe monet: eandem etiam methodum in ira, clementia, amore, odio, metu, fidentia, verecundia, gratia, miſericordia, indignatione, inuidia, æmulatione, obſeruat & retinet. Cicero verò vt orator non tàm horum omnium vim & naturam acutè ſubtiliterque explicat, quàm vſum commonſtrat. Itaque quoſdam motus prorſus omittit: vt indignationem, æmulationem, gratiam, verecundiam: reliquorum breuiter locos tradit: plus etiam obſeruationi atque experientiæ, quàm arti tribuere videtur. Ita libro Rhetoricorum 1. cap. 6. Rhetorices vtilitates quatuor recenſet: primò quòd veritatem & iuſtitiam defendat, ibi: χρήσιμος δέ ἐστιν ἡ ῥητορικὴ, διά τε φύσει εἶναι κρείττω τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια, τῶν ἐναντίων, &c. Deinde quòd propter deprauata & peruerſa hominum ingenia eadem neceſſaria: ἔτι δὲ πρὸς ἐνίους οὐδ' εἰ τὴν ἀκριβεστάτην ἔχοιμεν ἐπιστήμην, ῥᾴδιον ἀπ' ἐκείνης πεῖσαι λέγοντος, &c. Tū quod contraria perſuadendi facultatem tradat: ἔτι δὲ τἀναντία δεῖ δύνασθαι πείθειν, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς συλλογισμοῖς, &c. Poſtremò, quòd hominis ꝓprium, oratione ſeſe defendere: πρὸς τούτοις ἄτοπον εἰ τῷ σώματι μὲν αἰσχρὸν μὴ δύνασθαι βοηθεῖν ἑαυτῷ, λόγῳ δ' οὐκ αἰσχρόν, &c. Hunc locum Craſſus libro de Oratore primo, imitatur: ſed eruditè, tectè, liberè, διὰ τάξεως μεταβολῇ, ordinis immutatione: cùm quod ſecundo eſt loco poſi-

tum ab Ariſtotele, ille primo collocat. Neque verò mihi quidquam, inquit, præſtabilius videtur, quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velit, vnde autem velit deducere. Póſt ſubiungit quod poſtremò Ariſtoteles de hominis proprio adfert. Quid eſt aut tàm admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere vnum, qui id, quod omnibus naturâ ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſsit? Secundò τῇ ἐλλείψει omiſsione: omittit vtilitatem tertiam Cicero de ratione in contrarias partes dicendi: quia ad exercitationes illa ſcholaſticas pertinere, & eloquentiæ vſum præcedere videtur. Tertiò προσθέσει additione: commendat aliis rationibus dicēdi facultatem. Quid tàm iucundum cognitu atque auditu, quàm ſapientibus ſententiis grauibusque verbis ornata oratio & perpolita? Et, vt verò iam ad illa ſumma veniamus, quæ vis alia potuit aut diſperſos homines in vnum locum congregare, aut à fera, agreſtique vita ad hunc humanum cultum ciuilemque deducere. Quartò μήκει, prolixitate. Breuiter Ariſtoteles de honeſtate & veritatis atq; iuſtitiæ defenſione agit: Cicero idem copioſius diſtributione quadā tractat. Quid tàm potens, tamq; magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, Senatus grauitatē vnius oratione conuerti? quid tàm porrò regium, tàm liberum, tàm munificum,

quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? Quintò, μετασχηματισμῷ, conformatione. Ariſtoteles ψιλῇ ἀφηγήσει, expoſitione nuda vtilitates proponit: Cicero eaſdem repetitionibus, interrogationibus aliiſque adhibitis ornamẽtis in medium profert. Poſtremò, concluſionem Ariſtoteles omittit: nulla argumentorum repetitione vtitur: Cicero & antedicta repetit; Sic ſtatuo perfecti oratoris moderatione & ſapientia non ſolùm ipſius dignitatem, ſed & priuatorum plurimorum, & vniuerſæ Reipublicæ ſalutem maximè contineri: & auditorum atq; decori dialogici habita ratione προτροπῇ, adhortatione concludit: Quamobrem pergite, vt facitis, adoleſcentes: atq; in id ſtudium, in quo eſtis incumbite: vt & vobiſ honori, & amicis vtilitati, & Reipublicæ emolumento eſſe poſsitis.

Diſcrimẽ inter loci alicuius verſionẽ, explicationẽ, imitationẽ.

Ex his, opinor, apparet: quomodo in artis dicendi tradendis præceptis aliorum ſit veſtigiis inſiſtendum. Sed & idem in philoſophicis ſcriptis, maximè Platonis, quem Cicero eſt admiratus, ſi potero, oſtendam. Magnum diſcrimen eſt inter loci alicuius verſionem, explicationem, imitationem. Qui locum aliquem vertit & interpretatur, authoris obſeruare veſtigia cogitur: temerè ab iiſdem recedere, aut immutare aliquid non audet. Paulò maior explicatoris libertas eſt: cui

non

nõ eſt religio loco mouere & aliò transferre: tollere prorſus: addere aliquid, aut adimere. Qui verò imitando exprimere alterum conatur, is libertate maxima fruitur: atq; ita rationes ſuas inſtituit: vt quæ ab aliis habet, tecta & occulta eſſe, nec niſi à doctis intelligi velit.

Verſionis exemplum.

Sufficiat ergo ex multis aliis Platonis locis ad interpretandi & conuertendi oſtendendam rationem locus ille qui de animi immortalitate eſt in Phędro: *τὸ ἀεικίνητον, ἀθάνατον: τὸ δ' ἄλλο κινοῦν καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχει ζωῆς*, &c. Hunc Cic. I. Tuſc. hoc modo conuertit: Quod ſemper mouetur, id æternum eſt: quod autem motum affert alicui, quodque ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, viuendi quoq; finem habeat neceſſe eſt. & quæ ſequuntur. Vnde intelligitur, Platonis inſiſtere veſtigiis, eiuſdemque argumentationem totam interpretari voluiſſe Ciceronem: ſed non *κατὰ πόδα*, vt loquuntur, & verbum pro verbo reddendo: verùm mentem atque ſententiam authoris conſiderando. Et quidem libro de Finibus tertio, quid eiuſmodi ſit in interpretationibus & verſionibus obſeruandum oſtendit. Nec tamen, inquit, exprimi verbum è verbo neceſſe erit, vt interpretes indiſerti ſolét: cùm ſit verbum, quod idem declaret, magis minúſue vſitatũ. Equidem ſoleo etiá, quod vno Græci, ſi aliter nõ poſſum, idem pluribus verbis exponere.

Explicationis exemplum.

Explicationis verò exemplum idem nobis ſuppeditat cum Platonis in Menone περὶ ἀναμνηστίας de reminiſcentia locum tractat. Docere ibi Plato conatur, diſcere nihil aliud quàm recordari eſſe: πρόσεχε δὴ τὸν νοῦν, ὁπότερ' ἄν σοι φαίνηται, ἢ μανθάνων παρ' ἐμοῦ, &c. Locum illum Cicero 1. Tuſcul. ita explicat. Memoriam Plato recordationem eſſe vult ſuperioris vitæ. Nam in illo libro qui inſcribitur Menon, puſionem quendã Socrates interrogat quædam geometrica de dimenſione quadrati. Ad ea ſic ille reſpondet vt puer: & tamen ita faciles interrogationes ſunt, vt gradatim reſpondens eò perueniat, quaſi geometrica didiciſſet. Ex quo effici vult Socrates, vt diſcere nihil aliud ſit, quàm recordari. Eadem in Phædone diſputatio eſt: Καὶ μὴν ἔφη ὁ Κέβης ὑπολαβὼν καὶ κατ' ἐκεῖνόν γε τὸν λόγον ὦ Σώκρατες εἰ ἀληθής ἐστιν ὃν σὺ εἴωθας θαμὰ λέγειν, ὅτι ἡμῖν ἡ μάθησις οὐκ ἄλλο τι ἢ ἀνάμνησις τυγχάνει οὖσα, &c. Cuius talis apud Ciceronem eodem in libro explicatio eſt. Docet quemuis, qui omnium rerum rudis eſſe videatur, benè interroganti reſpondentem, declarare, ſe non tum illa diſcere, ſed reminiſcendo recognoſcere, &c. Vbi in explicatione loci Platonici & authorem Cicero nominat, opinionis de ἀναμνηστίᾳ reminiſcẽtia: & locum in quo diſputatio illa tractatur indicat: & diſputationis capita atque argumenta ſed præcipua tantùm notat: & quæ fuſè fuerunt ac prolixè diſputata, contrahit. Vnde quo pacto

loci alicuius ſit inſtituenda explicatio deprehenditur: vt authoris ſcilicet nomẽ ponatur: locus vnde ſumpta diſputatio notetur: argumenta præcipua proferantur: alia deniq; addantur, quæ ad plenam atque perfectam cognitionem, vel etiam perſpicuitatẽ maiorem neceſſaria eſſe videntur.

Imitationis porrò exemplum in Phædone eſt, vbi περὶ τῆς αὐτοχειρίας elegans atque erudita diſputatio inſtituitur: & nefas eſſe docetur, hominem ſibi ipſi manus inferre. ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι, καὶ οὐ δεῖ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν, οὐδ' ἀποδιδράσκειν εἰ μὴ ἀνάγκην τινὰ ὁ θεὸς ἐπιπέμψῃ, ὥσπερ καὶ τὴν νῦν ἡμῖν παροῦσαν, &c. Locus totus primùm πρόβλημα, quæſtionem ad diſputandum propoſitam continet: nefas eſt ſe ipſum hominem necare. Deinde ratio redditur, cur digna explicatione hæc ſit quæſtio: quia vtramque in partem argumenta minimè contemnenda à doctis adferãtur. Tum argumenta ſubiiciuntur: quòd dij curam gerant hominum: quòd quaſi in cuſtodia & ſtatione quadam ijdem collocati: neque aufugere inde debeant. Poſtremò concluditur: fortaſſe ergo præter rationem nõ eſt, non ante quenquam decere ſemetipſum interficere, quàm cauſam iuſtam Deus ipſe dederit, & neceſsitatem aliquam impoſuerit. Hæc in Tuſculanis Cicero hunc in modũ imitatur. Vetat dominans ille in nobis Deus, iniuſſu hinc nos ſuo demigrare. Cũ verò cauſam iuſtã Deus

Imitationis in philoſophicis exemplum.

ipſe dederit,vt tunc Socrati,nunc Catoni, ſæpe multis: næ mediùs fidiùs vir ſapiens lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit. Nec tamen illa vincula carceris ruperit (leges enim vetant) ſed tanquam à Magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic à Deo euocatus atque emiſſus exierit. Vnde tectè & occultè factam eſſe imitationem conſtat primò συντομίᾳ breuitate. Quæ enim prolixè eadem de quæſtione apud Platonem in medium adferuntur: ea Cicero contrahit & recenſet breuiter. Deinde ἀφαιρέσει καὶ ἐλλείψει: cùm quæ de deorum diſputat poſſeſsione Socrates, idem omittit. Tum μεταβολῇ τῶν παραστάσεων, qua Platonicis exemplis Catonis & aliorum opponuntur. Poſtremò μετασχηματισμῷ conformatione. Quod enim ſuo more Plato ἐνδοιάζουσα dubitatione & κρυπτικῶς occultè: πεποιθότως confidenter, apertè, & ὅρκῳ iureiurando Cicero concludit.

Imitationis orationis exemplum.

Sequitur porrò vt quonam pacto in orationibus, aliorum oratorum, maximè verò Demoſthenis exempla Cicero expreſſerit, oſtendatur. Conueniunt in multis Demoſthenes & Cicero, inuētione potiſsimùm & probandi ratione: non etiam multùm diſpoſitionis atque collocationis prudentia differunt. Diſsimilitudo præcipuè in elocutione deprehenditur. Vt enim non meis, ſed Quintiliani, dicendi magiſtri acutiſsimi, hac in re verbis vtar, denſior Demoſthenes, copioſior Cicero;

Demoſthenes & Cicero quibuſnā in rebus conueniant, aut diſcrepent.

Cicero: ille concludit adſtrictiùs, hic latiùs pugnat: ille acumine ſemper, hic frequenter pondere: illi nihil detrahi poteſt, huic nihil adiici: curæ plus in illo, in hoc naturæ, &c. Diſsimilitudinis huius cauſa Reipublicæ eſt forma, & conditio auditorum. Fuerunt enim docti, prudentes, ingenioſi, acuti Athenienſes: qui doceri quàm vel delectari, vel moueri maluerunt. Vnde illa in Demoſthenis orationibus κρύψις artis & dicendi luminum occultatio: orationis breuitas: argumentorum & ſententiarum denſitas. Romani verò homines fuerunt militares, non tàm literis & doctrina exculti vt Athenienſes: nec docentem modò, verùm etiam mouentem & delectãtem oratorem probârunt. Hinc copia in Cicerone maior: magis dicendi cùm lumina, tũ præcepta expoſita. Quod diſcrimen facilè ij deprehendent, qui cùm alias Ciceronis orationes, tùm verò maximè in Antonium habitas, cũ Demoſthenis conferre Philippicis voluerint. Vt enim Philippum Macedonum Regem Demoſthenes inſectatur, & non amici, ſed hoſtis loco habendum docet: ita ſuis in Philippicis contra Antonium Cicero agit, eundemque hoſtem eſſe declarandum probat. Vt ille Athenienſium, ita populi Romani hic propoſitam libertatem habet. Verùm diſcrimen ἐν μεθόδῳ tractatione eſt: & quæ breuiter, denſè, neruoſè à Demoſthene contra Philippum adſe-

Demoſthenis imitatio in Philppicis maximè Ciceronis deprehẽditur.

runtur, eadem copioſiùs, illuminatè magis, maiori cum animorum motu à Cicerone tractantur.

Oratio funebris Demoſthenis à Cicer. in Philippicis expreſſa.

Ita ἐπιτάφιον λόγον orationem funebrem Demoſthenis egregiè Cicero in 14. Philippica imitatur. Loci initium eſt: πολλὰ τοίνυν ἔχων εἰπεῖν, ὧν οἵδε πράξαντες δικαίως ἐπαινεθήσονται. ἐπειδὴ πρὸς αὐτοῖς εἰμὶ τοῖς ἔργοις, ἀπορῶ τί πρῶτον εἴπω, &c. Vbi primò propoſitio ponitur τῇ προσοχῇ attentioni accommodata, propter rei difficultatem & magnitudinem, quam ἀπορίᾳ dubitatione ſua indicat orator. Deinde defunctorum laus & commendatio ab adiunctis, hoc eſt, pueritiæ ſtudiis, & rebus præclarè fortiterque geſtis in bello ſumitur. Tum προλήψει, occupatione tacitæ obiectioni occurritur, & quòd victi illi ſint atque cæſi, μεταστάσει culpæ tranſlatione partim in Thebanos, partim fortunam aduerſam excuſatur. Quartò ἀπαριθμήσει enumeratio cauſarum impellentium inſtituitur, & mori maluiſſe milites honeſtè, quàm turpiter viuere oſtenditur, cùm propter Reipublicæ formam & diſciplinam, tùm exempla præclara maiorum ſuorum. Poſtremò conſolatio adfertur, à vitæ breuis & diuturnæ gloriæ comparatione: præmiis parentum: ſepultura honorifica deſumpta. Hunc, vt dixi, locum in 14. Philippica imitatur ibi. Sed facile eſt bene agere cum iis, à quibus etiam tacentibus flagitari videmur. Illud admirabilius & maius, maximeque proprium Se-

natus

ſtatus ſapientis eſt, grata eorum virtutẽ memoria proſequi, qui pro patria vitam profuderunt, &c. Vbi primò attentionis gratia rei magnitudinẽ τῇ εὐχῇ votó indicat orator. Deinde quænam potiſsimûm in cæſis laudare velit docilitatis cauſa oſtendit. Tertiò eorundem in Rempublicam promerita præclara recenſet. Quartò de honoribus atque præmiis agit. Quintò ad conſolationem progreditur, & eam in quatuor perſonarum genera diſtributam, à mortis genere, ab honoribus, ſepultura magnifica, parentum ſanguineque iunctorum præmiis ſumit. Tandem locum totum ſententiæ expoſitione concludit. Imitatur ergo Demoſthenem, ſed tectè & liberè, cùm quædam addit, quæ in illo non reperiuntur: nonnulla breuiter & nuda ἀφηγήσει exponit, quæ συγκρίσει comparatione facta exaggerauit Demoſthenes: alia amplè adhibita diſtributione tractat.

Quomodo eadem ſæpe eruditè et tecte tractanda atque repetenda.

Ex his ergo exemplis eloquentiæ Studioſi intelligent, quomodo aliorum imitatio eruditè, occultè & liberè inſtituenda ſit. Verùm hi ipſi quoque modi vtiliter adhiberi poterunt, cùm in docendo aut dicendo repetenda nobis & tractanda eadem erunt: vbi temporis, loci, auditorum ratio habenda: vitandum faſtidium: non eodem eadem modo proponenda. Exemplum huius rei egregium nobis orationes illæ duæ Ciceronis ſuppeditant, quas poſt reditum ſuum orator

Comparatio Orationũ Ciceronis ad Quirites, & Senatũ poſt reditum.

ad Quirites & Senatum habuit. Conueniunt inter ſe re ipſa: perſona dicentis: cauſis impellentibus & mouentibus: diſcrimen auditores faciunt diuerſi. In partibus quoq; ſingulis, ſimilitudines aliquæ & diſsimilitudines deprehenduntur. Beneficiorum enumeratio vtriuſque in orationis principio inſtituitur: ſed in altera illa quæ ad Senatum eſt habita, euitatum faſtidium eſt primò βραχύτητι breuitate: dum quæ pluribus ſunt expoſita in priore oratione, breuiter & conglobatim orator proponit. Deinde μεταβολῇ τῆς τάξεως, ordinis immutatione. Quod enim in Confirmationis principio antè de parentum, deorum, ciuium, Senatus beneficiis dixit orator: in exordio poſteà adfert. Ita in altera orationis parte Confirmatione eadem, ſed non eodem modo argumenta adhibentur, obſeruata ordinis commutatione, additione, copia & longitudine. Exilij ſui cauſas in priore oratione ſecundo loco expoſuit: in poſteriore quarto & poſtremo recenſet. Ibi Gabinij & Piſonis breuiter & tectè mentionem facit: hîc copioſè vtriuſque vitam deſcribit, & vituperat. Quædam denique de Reipublicæ tempore periculoſo addit, quę in illa ad Quirites omiſſa fuerant. Eodem modo ſi perorationum comparatio inſtituatur: in ſimilitudine differentia aliqua & diſsimilitudo inuenietur. Egit in oratione ad Quirites reſtitutionis ſuæ authoribus gratias: argumen-

ta præ-

ta præcipua repetiit: occurrit iis qui de ſuo in Rempublicam ſtudio dubitare videbantur. Idem in alterius ad Senatum habitæ orationis peroratione, ſed diſsimili ratione facit: & ſimilitudinem vitat, primò ἐλλείψει omiſsione eorum quæ de vlciſcendis hoſtibus & referenda gratia allata fuerant. Deinde προσθέσει exemplorum comparationis additione. Poſtremò βραχύτητι breuitate, & moderatione quadam. Quæ enim ibi copioſè dicta erant, de animo immutato, de remuneratione, & aliis: ea hoc in loco contrahuntur & proponuntur breuiter.

De Styli exercitatione, cur ab Eloquentiæ Studioſis illa inſtituenda: quamobrem difficilis: difficultas ea quo pacto conſideranda.

CAP. XV.

QVinque ad Eloquentiam parandam neceſſaria eſſe de principio dixi: naturæ bonitatem: præceptorum cognitionem: variam variarum rerum ſcientiam: imitationem bonorum: vſum denique atq; exercitationem. Itaque abſolutis quatuor partibus prioribus, reliquuum eſt, vt ad quintam & poſtremam, ſtyli ſcilicet exercitationē progrediar. Quam quidem commendare pluribus neceſſe non *Styli exercitationis vtilitas.*

habeo: cùm vt in aliis rebus omnibus exercitatione & vſu operis cuiuſque æſtimari perfectionem nouimus: ita quoque mancam eſſe naturam: inutilia præcepta: infrugiferam rerum magnarum ſcientiam: inanem denique imitationem conſtet, niſi ad vſum hæc eadem tranſlata accommodataque fuerint. Neque quicquam ad ſtyli facere magis commendationem videtur, quàm quod idem optimus dicendi effector, opifex, magiſter, ab optimo dicendi magiſtro Cicerone appellatur, & verè appellatur. Multa enim magnáque ille ſecum commoda adfert: omnia ea ſuppeditat, quæ ad eloquentiam parandam ſunt neceſſaria: oratoris ingenium acuit: ſententias prudentes & eruditas ſubminiſtrat: verba pura, lecta, terſa largitur: collocationem venuſtam & concinnam efficit: vt nihil de pronunciatione iam & memoria dicam. Verùm non optimus modò dicendi magiſter ſtylus, ſed etiam præſtantiſsimus vocatur, comparatione facta eorum, quæ in bono quoque oratore requiruntur. Præclarum eſt præclarè ab ingenio inſtructum eſſe: artis tenere præcepta, pulchrum: multarum rerum cognitionem habere, eximium: egregios ſuis in ſcriptis authores exprimere, laudabile. At primæ interim partes in eloquentiæ ſtudio ſtyli tribuendæ eſſe exercitationi videntur, vt quæ illa omnia aut meliora reddit & confirmat: aut emendat atque corrigit:

git: aut ad vſum transferre docet.

Iam verò vt ſtylo nihil vtilius eſt aut neceſſarium magis: ita nihil quoque eſt, quod ab eloquentiæ Studioſis magis negligatur. Reperiuntur enim non pauci, qui ſuam in legendo & auſcultando diligentiam, aſsiduitatem, conſtantiam præceptoribus probant: at interim ſtylum in manus ſumere: quæ vel ex aliis audiuerunt, vel ipſi legerunt domi, ſcribendo & dicendo exprimere recuſant. Fieri hoc propter difficultatem & laborem ſolet, quem, vt Craſſus libro de Oratore primo ſcribit, plerique fugiunt. Nihil enim laborioſius aut difficilius ſtyli eſt exercitatione, propterea quòd multa requirit: verborum copiam magnam: iudicium acre, non ſolùm in ſententiis, verùm etiam verbis & dicendi luminibus. Oportet ſententias ſingulas aptis vocabulis proferre: oportet diſtincta ornamenta adhibere: oportet ſcire quæ ſimpliciter ſint & ſine cultu producenda: aut ornanda, amplificanda, exaggeranda. Ad haſce difficultates & illud accedit, quòd qui ſcribunt, plerunq; negligenter ſcribunt: non de argumento cogitant: nô eidem conuenientes ſententias, aut ad docendum, mouendum, delectandum accômodatas ſeligunt: non eaſdem ponderant, ſed numerant; non veterum in ſcribendo ſibi rationes & exempla proponunt: in linguæ deniq; volubilitate aut profluentia verborum hanc eſſe poſitam exerci-

Stylus propter difficultatem negligitur.

tationem opinantur. Itaq; mirum nõ eſt, difficilem per ſe ſtylum, longè adhuc difficiliorem noſtro tempore fieri, feſtinatione præpropera, negligentia, ſtultitia. Paucis ergo deinceps eloquentiæ Studioſis indicare conabor, quonam pacto difficultas in ſcribẽdo omnis ſuperãda ſit, retentaq; via illa & ratione, quæ in ſcribendo eſt obſeruanda, oſtendam: 1. quę ab eloquentiæ Studioſo ad tractandum deligenda materia: 2. quo loco atque tempore ſcriptio inſtituenda: 3. quis in ea ordo & modus tenendus: 4. quæ in ſcriptorum cùm noſtrorum, tùm aliorum emendatio ac cenſura adhibenda: 5. quomodo quæ ſcripta iam & correcta memoriæ mandanda: 6. aptè atque commodè proferenda, & publicè recitanda. Hæc enim, opinor, capita vtilia ſunt & neceſſaria iis, q ſtyli difficultates omnes ſuperare: & ſolidam ſibi parare eloquentiam cupiunt.

Styli difficultas quomodo ſuperanda.

De Materia, quæ, & quo ordine in exercitatione ſtyli ad tractandum deligenda.

CAP. XVI.

SEx obſeruanda eſſe dixi iis qui facilè atque feliciter exercere ſtylum volunt: inter quæ primum meritò locum argumenti & materiæ delectus obtinet. Neque enim quæuis, ſed idonea

nea tantùm, ad tractandum in manus ſumenda & deligenda eſt. Idonea autem materia eſt primùm, quę ætati eſt noſtræ conueniens & accommodata. Alia enim argumenta pueris conueniunt: alia adoleſcentibus ſunt ad tractandum proponẽda: alia exercitatis iam ſunt apta & accommodata. Deinde materia idonea eſt, quæ vires noſtras nõ ſuperat. Vnde illud Poetæ in Arte:

In deligenda ad tractandum materia quæ ſpectanda.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus: & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.——

Qui enim viribus ſuis ſcribendi æſtimãt materiam: non niſi quod ſuſtinere poſſunt in ſeſe onus recipiunt: & ſatis facundi ſunt: & rerum ordinem minimè peruertunt:

——*Cui lecta potenter erit res.*
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

Eſt autem viribus noſtris conueniens & accommodata ea, quæ ingenij noſtri captum non ſuperat: quæ intelligi primùm à nobis: deinde intellecta tractari poteſt. Non enim poſſunt non ineptè & ridiculè ſcribere, qui ſub ſtyli reuocare incudem ea non dubitant, quæ aut non intelligunt, aut tractare nequeunt. Tertiò idonea illa materia eſt, quæ ſua natura non eſt ieiuna atque ſterilis, ſed ἀνάφορος, copioſa: quæ argumenta multa ad probandum, mouendum, delectandum, accommodata ſuppeditat: quæ denique ornatum oratorium admittit. Vnde Politicæ maximè,

& Theologicæ atq; Iuridicæ materiæ ad ſcribendum ſunt idoneæ: non itidem mathematicæ, aut medicæ, quia ſteriles, aridæ, ieiunæ: quia ornatum nō admittunt: quia in vtramque partem tractari commodè non poſſunt. Quartò, idonea materia eſt, quæ vſum aliquem habet: quæ non leuis, friuola, nugatoria: ſed quàm proximè eas ad cauſas accedit: quæ in literatorum hominum congreſsibus: in concionibus ad populum: in conciliis & deliberationibus: foro denique ac iudiciis locum habere ſolent. Et Craſſus apud Ciceronem eorum rationem probat, qui cauſa aliqua poſita conſimili cauſarum illarum, quæ in forum deferuntur, quàm maximè ad veritatem accommodatè dicebant. Quintò idonea etiam illa materia eſt, quę auditoribus eſt conueniens. Quod enim lib. Rhet. 1. monet Ariſtoteles, conſiderandum eſſe oratori, qua in Republica, & apud quos dicat: idem etiam in ſtyli exercitatione obſeruandum eſt: ne quid ad tractandum deligatur, quod non aut probent, aut intelligant auditores. Atque hæc in genere de argumenti & materiæ delectu ſint dicta.

Quæ primo aut poſtremo loco ad tractandum materiæ deligendæ.

Verùm vt res hæc tota perſpicua magis fiat: quæ primo, aut ſecundo loco, aut deinceps ſint tractāda, oſtēdere conabor. Quemadmodum enim ij, qui ſcalarum gradus non obſeruant, ruinam, non aſcenſum ſibi parant: ita quoque in eloquentiæ ſtudiis magno

gno quidem cum labore, ſed ſine fructu atq; infeliciter illi verſantur, q temerè neglectoq; ordine ſtylum exercent. Primus ergo exercitationum oratoriarum gradus erit, vt, vbi à doctore verba cùm ſingula, tùm coniuncta intelligentia eloquentiæ Studioſus perceperit, primaq; veluti rudimenta poſuerit, argumenta ei in patrio & vernaculo ſermone minuta, paucisſimis ſententiis, breuibus periodis proponátur iis de rebus, quas per ætatem ille intelligit: & vel videt, vel audit, in templo, in ſchola, in vicis, in menſa, aliisq; locis. Nihil enim ineptum eſt & ridiculum magis, quàm quotidiana, communia, neceſſaria negligere: exercitij cauſa ꝓponere ea, quæ cùm à puerorum intelligētia, tùm vſu longisſimè ſunt diſiuncta. Deinde prima ſtyli exercitatio iucunda atque facilis eſſe debet: quod in ignotis, obſcuris, difficilibus fieri materiis nō poteſt. Secundus ſcriptionum quoque erit fictarum, & argumentorum à præceptore deſumptorum. Vbi enim in minutulis illis & breuiuſculis, & quotidianis exercitatus fuerit puer: vernaculo ſermone ex Cicerone, vel Terentio commutatis tempòribus, perſonis, locis propoſita argumenta in latinam linguam transferet. Tertius epiſtolæ eſt Ciceronis, aut fabellæ, aut narrationis alicuius breuioris: quæ in patrium ſermonē conuertenda: pòſt remoto authore in latinam linguam reducenda erit. Hoc.n exercitij genus

1. Styli exercitationis gradus.

2. Gradus.

3. Gradus.

primò cum voluptate quadam coniunctum eſt: propterea quòd inuentionis in eo cura, quæ admodum grauis atque difficilis eſſe adoleſcentibus ſolet, tollitur. Deinde puritati inſeruit, atque efficit, vt latinis & Ciceronianis, nō barbaris vocabulis aſſueſcamus. Tum ad ſtudium & diligentiam adoleſcentes excitat: vbi quàm propè ad Ciceronem acceſſerint, vel ab eodem abfuerint procul, intellexerint. Quartò imitationem promouet. Magni enim eloquentiæ Studioſus imitandi curam faciet, & ad præclarorum virorum ſcribendi rationem ſuam conformare diſcet, ſi conuerſionis hoc genus adhibuerit. Quintò etiam emendandi laborem eiuſcemodi exercitium adimit. Neque enim correctorem hîc & cenſorem quærere neceſſe erit: neque rectè vel ſecus inſtituta emendatio fuerit, dubitatio vlla orietur: cùm dicendi magiſter longè optimus & præſtantiſsimus præſtò ſit.

4. Gradus. Quartus *μεταφράσεως*, cōuerſionis eſt, & tranſlationis græcorum ſcriptorum in latina, & viciſsim. Hoc ſeſe exercitij genere vſum Ciceroaffirmat: & extant adhuc quædam, quæ latinè idem conuertit ac expreſsit. Nec profectò inutile illud eſt, cùm (vt de ſuo hoc mihi Quintilianus largiatur) & rerum copia Græci abundârint: & artis plurimum in eloquentiam intulerint: & hoc modo verbis vti optimis: imitando exprimere noua, ſed tamē idonea: melius authores ipſos intelligere, deque

iiſdem

iiſdem iudicare diſcamus. Et quod de latina atque græca lingua dicitur: idem de vernacula quoque intelligi debet: in qua honoris partim, partim neceſsitatis gratia conuerſiones nonnunquã inſtituendæ. Quintus. Stylo aliqua ex parte iam confirmato: in poetis & aliis conuerſio eſt, ſed non eodem orationis genere, adhibenda. Etſi enim vna eademque de re non ſemel tantùm, verùm ſæpe dici poſsit: nec vſque adeò inutile eſſe videatur cum doctis & præclaris viris contendere: tamen certamen illud, animi quandam elationem parit: & curam magnam, ingenium excellens, ſingulare iudicium, exercitationem longam, diuturnũ vſum requirit: & reuera, aut non prodeſt, ſi iiſdem planè, non mutatis verbis inſtituatur: aut etiam obeſt plurimũ, cùm dediſcamus hoc modo minuſque aptis & idoneis vti verbis conſueſcamus. In hoc ergo exercitij genere poetarũ numeris quaſi vinculis quibuſdam nexa ligataque oratio cum libera atque ſoluta oratorum commutanda eſt, & commutanda ita: vt oratorium robur adiiciatur: omiſſa ſuppleantur: tractata copioſè coarctentur: aliò quædam transferantur: atque ita cùm verborum copia paretur, tùm inter oratorium & poeticum dicendi genus diſcrimen deprehendatur. Sextus, ſententiarum, locorum communium, & his ſimilium aliorũ eſt. Veluti ſtellæ orationem exornãt γνῶμαι, ἀποφθέγματα, & quæ huius ſunt

5. Gradus.

6. Gradus.

generis alia. Itaque vtile eſt eloquentiæ Studioſos ea dilatare, explicare: probare, aut reiicere: laudare, aut reprehendere & vituperare.

7. *Gradus.* Septimus fabularũ eſt & hiſtoriarum. Soliti veteres ſunt in ſtyli exercitationibus poetarum fabulas tractare: & eſt ſanè ratio illa non inutilis, modò rectè & in Tragicis inſtituatur, quę ſententias graues, illuſtres perſonas, argumẽta παθητικὰ ad auditorum animos inflammandos accommodata ſuppeditãt. Sed præferenda illis argumenta ea eſſe videntur, quę ex hiſtoricis, maximè verò recentioribus ſumuntur. Itaq; ſuaſionum & diſſuaſionum: laudationum & reprehenſionum: accuſationum & defenſionum argumenta multa, eaq; præclara, ad tractandum eloquẽtiæ Studioſi ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Plutarcho, Liuio, Cæſare, Salluſtio, & aliis ſumere poterunt: ſed commendatos maximè ſibi habebunt eos, qui quæ maiorum ſunt aut parentum noſtrorum memoria facta, literarum monumentis conſignârunt.

8. *Gradus.* Octauus contrariarum eſt materiarum. Ariſtoteles libro Rhetoric. 1. cùm dicendi artis vtilitates recenſet, inter alias etiam hanc ponit, quòd in contrarias dicere partes & τἀναντία πείθειν nos doceat. Et eſt vtile, maximè exercitatis iam, contrarias orationes ſcribere: & argumenta ſua Ciceroni opponere: accuſare Deiotarum: reum Roſcium facere: laudare Antonium: Verrem defendere: Catilinæ partes

tueri:

tueri: legẽ Maniliam diſſuadere: approbare Agrariam. Primũ enim comparatione facta, quantum inter noſtram & Ciceronis tractationem diſcrimen ſit, facilè deprehenditur. Deinde efficitur, vt vocabulis latinis & Ciceronianis vtamur, & res quaſque decorè, atque accommodato dicendi genere explicemus. Tum ad intelligendum ac iudicandum non parum eadem exercitatio conducit. Neceſſe eſt enim vt antè probè orationem illam intelligamus, quam refutare atque refellere cupimus. Poſtremò etiam cum iucunditate & voluptate quadam hæc eadem ratio coniuncta eſſe videtur. Nihil difficilius eſt, quàm argumenta aut inuenire bona, aut inuenta aptè diſponere. Difficultatem eam tollit hæc exercitatio, propterea quòd non noua inuenire argumenta neceſſe habemus, ſed negare ſaltem opus eſt ea, quæ Cicero affirmauit: aut aſſerere quæ idem negauit: & quidem eodem ordine, quo Cicero vſus eſt. Et quod de integris orationibus contrariis dicimus: idem quoque de breuioribus interpellationibus intelligendum eſt, quæ in orationum Ciceronianarum recitationibus inſtituendæ. Nonus quæſtionum eſt philoſophicarum. Vtile eſt Philoſophorum dogmata exercitij cauſa explicare: dilatare, aut contrahere: probare aut refutare: laudare aut vituperare, maximè verò ea quæ ab Ethicis & Politicis ſunt tradita. Etſi *9. Gradus.*

enim de omnibus rebus dicere, & propterea in omnibus exercere ſeſe oporteat oratorem: nec negligendæ ſint prorſus dialecticæ, mathematicæ, & phyſicæ quæſtiones: tamen præferendæ his ethicæ & politicæ erũt: quia maiorem vtramque in partem argumentorum ſecum copiam adferunt: quia ornatum admittunt: quia vtiliores ſunt iis, qui in foro aliquando Reque publica verſari cupiunt.

10. Gradus. Decimus ſuperiorum eſt facultatum. Qui ordine per nouem ſunt gradus exercitationum progreſsi, materias theologicas, aut iuridicas ſumere, inq; iis vtiliter ſeſe exercere poſſunt. Etſi enim ad oſtentationem Prophetæ & Apoſtoli ſua ſcripta non elaborârint: tamen nec confuſè & ſine ordine ſcripſerunt. Itaque à Theologiæ candidatis exercitij cauſa dilatari conciones Prophetarum & Apoſtolorum: aut dicta breuia explicari: aut tractari Patrum ὁμιλίαι de rebus grauiſsimis inſtitutæ, poterunt. Iuris verò legumque Studioſi de legibus vtramq; in partem diſputabunt: eaſdem laudabunt, aut vituperabunt: indicatas breuiter dilatabunt: oratoriè quoque controuerſias in Principum conſiliis aut Rebuſpublicis agitatas tractabunt.

Vtrum falſa & abſurda nonnunquã tractanda. Quòd ſi verò quis quærat, vtrum etiam abſurda aliquando & ridicula ſint exercitij cauſa tractanda, verbi gratia: laudanda ebrietas: vituperanda eloquentia: reprehendenda iuſtitia: omnino admittenda ea eſſe arbitror:

tror: ſed non vt ita ſentiamus & viuamus. Probat hanc rationem Ariſtoteles in Rhetoricis: laudat eandem in Carneade Cicero. Et vtilis ſanè illa eſt propter rerum primò conditionem. Neque enim in fortuitis rebus vlla reperitur, quæ non in ſeſe aliquid contineat, contra quod pugnari poſsit. Deinde hominum naturam & ingenium. Quot enim capita ſunt, tot etiam ſenſus, opiniones, iudicia eſſe ſolent. Tum refutandi facultatem. Quemadmodum enim Medici feliciùs remedia adhibent, qui ea quæ nocent cognita perſpectaque habent: & victoria facilè illi potiuntur Imperatores, qui hoſtium conſilia non ignorant: ita qui contra animi ſententiam falſa, abſurda, ridicula defendunt: negotio non magno ab aliis eiuſdem generis argumenta allata refutare poterunt. Ita in ranarum & murium deſcribenda pugna occupatus Homerus eſt: incude ſua nõ indignum culicem Maro iudicat: illaudatum laudat Buſyridem Iſocrates: Apuleius Aſinum celebrat: Germaniæ illud decus & ornamentum D. Eraſmus ſtultitiam commendat: alia alij laudibus euehũt, & ita euehunt, vt vnà cum voluptate & delectatione vtilitas minimè contemnenda inde manet atq; profluat.

De loco & tempore ſtyli exercitationibus accommodato.

CAP. XVII.

PRimum in ſtyli exercitationibus locum argumento & materiæ ad ſcribendum delectæ aſsignauimus: ſequitur vt quo & loco & tempore in manus ſit ſumendus ſtylus, conſideretur: cùm ſæpe etiam hac in re peccari ab eloquentiæ Studioſis conſtet. Quod igitur ad tempus attinet, difficultatem non paruam hæc habere conſideratio videtur, propterea quòd magna hîc ingeniorum diſsimilitudo atque diuerſitas deprehenditur. Sunt enim qui melius cibo iam ſumpto, aut etiam cum vino incaluerunt, quàm vel ieiuni, vel ſobrij ſcribunt. Et notum illud poetæ eſt:

Quo tempore ſtylus exercendus.

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus,
Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſilijt, &c.——

Quin & Cratinum, antiquæ Comœdiæ poetam, vinũ generoſum generoſi equi vice eſſe poetis, dixiſſe legimus. De quo idem poeta:

Priſco ſi credis Mecœnas docte Cratino,
Nulla placere diu, nec viuere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.——

Nonnulli cum affectibus rapiuntur, feliciùs quod cupiunt, exequuntur: & plus calore quodam, quàm ſtudio & diligentia proficiunt. Alios neceſsitas, & negotiorum multitudo

titudo atque varietas ad ſcribendum tempus deligere cogit: vbi illud valet, quod trito dici prouerbio ſolet: Paupertas legem non habet. Quòd ſi verò neglecta naturæ & ingeniorum diuerſitate, poſt etiam habita neceſſitate, certum aliquod & idoneum ad ſcribendum tempus quæratur: aptiſsimum atq; conuenientiſsimum matutinum eſſe arbitror, illudq; probo: Poſces ante diem librum cum lumine. Et doluiſſe vehementer Demoſthenem referunt hiſtorici, ſi quando opificũ antelucana victus induſtria eſſet. Requirit enim meditationem diligentem ſtylus: ingenij acumen deſiderat: exigit memoriam: animum ſolutum à curis: vacuum à ſolicitudinibus: liberum à defatigatione poſtulat. Neque fieri poteſt, vt multis vel curis, vel laboribus, victum, atque fractum ſcribendi ſtudium dignum quid politis auribus adferat: vnde illa Ouidij in Triſtium lib. excuſatio:

Si qua meis fuerint (vt erunt) vitioſa libellis,
Excuſata ſuo tempore, lector, habe.
Exul eram, requiesq; mihi non fama petita eſt.
Mens intenta ſuis ne foret vſq; malis.

Et nec poſtmeridianas, nec veſpertinas horas ſcriptoribus conuenire facilè intelligitur. Poſtmeridianas, quia aut moleſtias alias, aut cibo potuque repletum ventriculum habent, qui λεπτὸν νόον οὐ τίκτει ſubtiles cogitationes non parit. Ac notatu dignum eſt, quod Heraclides dixit: rore quidem paſci cicadas, ſed

De loco & tempore ſtyli exercitationibus accommodato.

CAP. XVII.

PRimum in ſtyli exercitationibus locum argumento & materiæ ad ſcribendum delectæ aſsignauimus: ſequitur vt quo & loco & tempore in manus ſit ſumendus ſtylus, conſideretur: cùm ſæpe etiam hac in re peccari ab eloquentiæ Studioſis conſtet. Quod igitur ad tempus attinet, difficultatem non paruam hæc habere conſideratio videtur, propterea quòd magna hîc ingeniorum diſsimilitudo atque diuerſitas deprehenditur. Sunt enim qui melius cibo iam ſumpto, aut etiam cum vino incaluerunt, quàm vel ieiuni, vel ſobrij ſcribunt. Et notum illud poetæ eſt:

Quo tempore ſtylus exercendus.

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus,
Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiliјt, &c.——

Quin & Cratinum, antiquæ Comœdiæ poetam, vinũ generoſum generoſi equi vice eſſe poetis, dixiſſe legimus. De quo idem poeta:

Priſco ſi credis Mecœnas docte Cratino,
Nulla placere diu, nec viuere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.——

Nonnulli cum affectibus rapiuntur, feliciùs quod cupiunt, exequuntur: & plus calore quodam, quàm ſtudio & diligentia proficiunt. Alios neceſsitas, & negotiorum multitudo

titudo atque varietas ad ſcribendum tempus deligere cogit: vbi illud valet, quod trito dici prouerbio ſolet: Paupertas legem non habet. Quòd ſi verò neglecta naturæ & ingeniorum diuerſitate, poſt etiam habita neceſſitate, certum aliquod & idoneum ad ſcribendum tempus quæratur: aptiſsimum atq; conuenientiſsimum matutinum eſſe arbitror, illudq́; probo: Poſces ante diem librum cum lumine. Et doluiſſe vehementer Demoſthenem referunt hiſtorici, ſi quando opificũ antelucana victus induſtria eſſet. Requirit enim meditationem diligentem ſtylus: ingenij acumen deſiderat: exigit memoriam: animum ſolutum à curis: vacuum à ſolicitudinibus: liberum à defatigatione poſtulat. Neque fieri poteſt, vt multis vel curis, vel laboribus, victum, atque fractum ſcribendi ſtudium dignum quid politis auribus adferat: vnde illa Ouidij in Triſtium lib. excuſatio:

Si qua meis fuerint (vt erunt) vitioſa libellis,
Excuſata ſuo tempore, lector, habe.
Exul eram, requiesq́; mihi non fama petita eſt.
Mens intenta ſuis ne foret vſq; malis.

Et nec poſtmeridianas, nec veſpertinas horas ſcriptoribus conuenire facilè intelligitur. Poſtmeridianas., quia aut moleſtias alias, aut cibo potuq́ue repletum ventriculum habent, qui λεπτὸν νόον οὐ τίκτει ſubtiles cogitationes non parit. Ac notatu dignum eſt, quod Heraclides dixit: rore quidem paſci cicadas, ſed

cùm canere volunt, ſiccas eſſe. Veſpertinæ verò propterea nõ probantur, quòd animi tum vel aliis diſtricti diſtentique curis tenentur: vel diurnis negotiis atque occupationibus ſunt defatigati: ſimul etiã illa cogitationum intentio, quæ in ſcribendo requiritur, plurimùm valetudini obeſſe ſolet. Hinc præclarè Plato monet, vt, quemadmodum in Solis occaſu mundi quaſi oculum claudi videmus: ita nos oculos noſtros claudamus, & ſomnum admittàmus.

Quis ad ſcribendum locus deligendus.

Iam verò de loco ſi quis quærat: omnino liberum illum, & à turba remotum ac ſolitarium deligendum eſſe exiſtimo. Eſt enim εὑρετικὴ maximè ἡ ἐρημία: & quæ in ſcribendo neceſſariò requiruntur, facilè turba atq; ſtrepitu impediri ſolent. Vnde illud Horatij:

Præter cætera, me Romæ nẽ poemata cenſes
Scribere poſſe, inter tot curas, totq; labores?
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum:
Triſtia robuſtis luctantur funera plauſtris:
Hac rabioſa fugit canis: hac lutulenta ruit ſus.
I nunc, & verſus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus: & fugit vrbes.

Et Demoſthenem Plutarchus locum ad ſcribendum procul ab hominum oculis ſtrepituque remotum ſibi delegiſſe affirmat. Itaque peccare illi videntur, qui cùm carmen vel orationem aliquam meditari volunt, aut

in mediis vrbis vicis oberrantes:

Murmura perpetuò, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atq; exporrecto trutinantur verba labello.

Aut hortos, prata, flumina, & huius generis alia quærunt, quæ amœnitate ſua facilè à cura atque diligentia auocare ſcriptorem poſſunt. Neque tamen cùm ſolitudinem, ſilentium & ſeceſſum in ſcribendo requiri affirmo: iccircò ſi difficultas aliqua obſtet, intermittendam propterea hanc eſſe exercitationem ſcribendi arbitror. Quoniam enim propterea in Scholis eiuſcemodi exercitia inſtituuntur: vt hiſce quaſi præculti & præparati adoleſcentes, præclarè aliquando laudabiliterque in Eccleſia, curia, foro, locis aliis ſtare poſsint: vtile eſt, difficultates illas & incommoda, quæ ſeſe nobis offerunt, cura, ſtudio, diligentia ſuperare: neque committere, vt iiſdem obiectis perturbati, repentè atque ſubitò obmuteſcamus.

De ordine & modo in ſcribendo obſeruando.

CAP. XVIII.

POſt materię conſiderationem, & cùm temporis, tũ loci delectum, tertiò μέθοδος via atque ratio in ſcribendo certa tenenda eſt: & conſiderandum diligenter, vnde initium ſumendum, & quo ordine ac modo progredien *Cur in ſcribendo methodus obſeruanda.*

dum ſit. Moleſtum eſt enim & difficile, quicquid ἀμεθόδως, ſine via atque ratione certa inſtituitur: maximè in ſtylo qui propterea pleriſq; hodie difficilis nimis eſſe videtur, quòd præpoſterus in eo ordo obſeruatur, ſæpeque antè in manus ſumitur, quàm materię ipſius cognitio ſuſcepta: aut argumentorum cùm inuentio, tùm ἐκλογὴ inſtituta, aut alia conſiderata fuerint, quæ in ſcriptione facili, iucunda, erudita neceſſariò requiruntur. Paucis ergo hoc in capite, quo ordine modoque in ſcribendo ſit vtendum, eloquentię Studioſis indicare conabor.

1. Præceptũ cauſæ cognitionis & conſiderationis. Sit ergo primum hoc in præceptis: vt qui ſcribere aliquam vult orationem, alio tempore cogitet quid ſcribat, & alio ſcribat, diligenterque & penitùs cognoſcat ea quæ tractaturus eſt. Eſt enim leuitatis ſignum magnum, non cogitare atque conſiderare velle quid dicturi ſimus: difficilem quoque hæc eadem negligentia inuentionem reddet, cùm nihil ibi inueniri, aut colligi poſsit, vbi rei, aut nulla, aut perexigua cognitio eſt. Conſiſtit autem illa in tribus: lectione, auditione, meditatione. Itaque qui rem̃ ad tractandum ſuſceptam cognoſcere, & cognoſcere penitùs cupit, primùm authores illos, qui de eadem ſcripſerunt leget: & leget, non obiter, ſed diligenter: & leget, non ſemel, ſed ſæpe: ne malè intellecta proferat: & ſuam vel inſcitiam, vel negligentiam prodat. Deinde eos quoq; audiet,

audiet, qui ea quæ tractare conſtituit, intelligunt, & docent, ac profitentur. Neque Cicero turpe ſibi duxit in quæſtionibus iuridicis, obſcuris maximè & difficilibus, Scæuolam aliosque Iuriſconſultos conſulere. Tum etiam meditationem atque commentationem adhibebit, in qua & ἀπάθεια animi tranquillitas, & cùm ipſius rei, tùm perſonarum neceſſaria conſideratio eſt: vt animo tranquillo, non perturbato, τὰ καθ' αὐτὰ συμβεβηκότα, καὶ ὑπάρχοντα, ea quæ rei per ſe accidunt, vel inſunt, perſonam etiam ſuam & aliorum conſideret orator. Secundum præceptum eſt: Conſiderata iam, cognitaque materia probè, videndum quænam præcipua quæſtio ſit, ad quam omnia argumenta, ſiue probantia illa fuerint, ſiue refutantia, referenda. Moleſta eſt enim & difficilis inuẽtio iis, qui nondum cognita perſpectaque quæſtione, ex locis eruere argumenta conantur. Facilè verò quæſtionem inueniet, qui quæ in cauſa verſantur explorata habuerit: quæ confeſſa, aut controuerſa: affirmata, aut negata: admiſſa vel reiecta cognouerit. Tertium. Inuenta iam quæſtione, de argumentis cogitandum erit probantibus, conciliantibus, mouẽtibus. Quam ad rem primò γνῶσις, cognitio requiritur locorum, vt cognoſcat, & defixos cogitatione eos locos habeat, ex quibus argumenta ſunt inuenienda. Vt enim venatores, niſi ferarũ cognita latibula habuerint, fruſtra ſeſe ve-

2. Præceptũ quæſtionis.

3. Præceptũ cognitiõis & inueſtigationis locorum.

nando fatigant, & vacui domum redeunt: ita qui argumentorum quaſi cellulas & domicilia ignorant: magnos quidem, ſed ſine fructu in inueniendo labores ſuſcipiunt. Hanc ſecundo locorum γνῶσιν, cognitionem eorundem ζήτησις inueſtigatio ſequi debet: vt locos omnes percurrat eloquentiæ Studioſus: ita quidem, vt initium ἀπεριστάσεων, attributorum & circumſtantiarum locis faciat: deinde ad Statuum locos, & ab his ad generum cauſarum proprios progrediatur: poſtremò ad dialecticos & communes accedat. Quartum συλλογῆς, collectionis eſt argumentorum. Non ſatis eſt noſſe & ſcrutari locos; verùm etiam notanda ſunt & conſcribenda illa argumenta, quæ nobis ſeſe offerunt. Quemadmodum enim quæ in caſſes inciderunt feræ, ſæpe venatorum vel negligentia, vel timiditate euadunt: ita quoq; niſi diligens argumentorum collectio & notatio inſtituta fuerit: argumenta antè noſtra è memoria effluent, quàm ad vſum transferri, & in dicendo adhiberi poſſint. Quanquam & eam hæc notandi ratio vtilitatem habeat: quòd argumentorum inde numerus atque copia deprehenditur, eoque facilius delectus inſtituitur. Facilè verò, etiã in magna argumentorum cùm multitudine, tùm varietate, quæ inuenit ex locis notabit, qui ſecundum triplicem orationis finem ea diſtinguet, & quidem ſeorſim ad probãdum & fidem faciendam accommodata ponet: ſeparatim

4. Præceptũ συλλογῆς collectionis argumentorũ.

paratim, quæ ad πάθη, animorum inflammationem pertinent, conſignabit: ſeiunctim collocabit ἠθικὰ, quæ delectant & conciliant. Quintum quod in ſcribendo obſeruandum, ἐκλογὴ, delectus eſt argumentorum. Quoniam enim non numeranda, ſed ponderanda ſunt argumenta: nec paginarum multitudine, ſed bonitate orationes ſunt æſtimandæ: multa quoque, maximè ab ingenioſis, non ſolùm vtilia & neceſſaria, verùm etiam leuia & nugatoria colliguntur: & in illis ipſis bonis alia aliis ſunt præferenda: prudentia requiritur, & neceſſarius delectus eſt. Itaque videndum eſt primò, quænam vicina & ἐπίκαιρα, opportuna, & rei præſenti conuenientia, aut ab eadem longè remota ſint. In deliberatiuo genere quatuor potiſsimùm ex locis: cauſis, adiunctis, comparatis, contrariis argumenta ſumuntur, quibus vtile, honeſtum, facile probatur: delectant & conciliant, quæ oratoris prudentiam, virtutem, beneuolentiam declarant: motus dominantur: ſpes emolumenti, laudis, gloriæ: metus periculi, turpitudinis, infamiæ, æmulatio, miſericordia, amor, odiũ, inuidia, ira, indignatio. Generi demonſtratiuo, ἐπίκαιρος, opportunus eſt maximè cauſarum locus, in quo cauſa ſpectatur efficiens virtus: & adiuuantes, corporis & fortunæ commoda: & effectorum, qui actiones, opera & facinora præclara ſuppeditat: & conſequentium, qui honores, præmia, & his ſimi-

5. Præceptũ delectus argumentorũ.

lia alia ſubminiſtrat: conciliant, quæ oratoris pietatem, gratitudinem, veritatem, ſimplicitatem, candorem, integritatem indicát: motus valent, non vehementes, ſed lenes & ſuaues: æmulatio, lætitia, moleſtia, gratia. Ita in genere cauſæ iudiciali ſinguli ſtatus locos ſuos habent, ex quibus argumenta ſumenda: & coniecturæ, maximè cauſæ, effecta, coniuncta, teſtimonia: definitioni, definitiones, conſequentia, antecedentia, repugnantia, cauſæ, effecta, quibus idem aut diuerſum oſtenditur: qualitati comparata præcipuè & æquitatis loci conueniunt: conciliant quę iuſtitiam, integritatem, religionem, fidem teſtatam faciunt: motus regnant in accuſando, odium, ira, indignatio: in defendendo, miſericordia, amor, clementia. Secundo in delectu etiam loci, temporis, perſonarum eſt ratio habēda. Quemadmodū enim Medicus prudens, cùm medicinā adhibere vult ægro, non ſolùm morbum ipſum, verùm etiam naturam eiuſdem, & tempus conſiderat: ita & orator bonus diligenter cogitabit, quo loco, tempore, apud quos verba faciat: ne aliena aut ingrata in medium argumenta adferat.

6. Præceptum collocationis. Sextum eſt collocationis. Cognita cauſa: inueſtigata quæſtione: inuentis, collectis, notatis & delectis argumentis, in ea cura cogitationeque eloquentiæ Studioſus verſabitur, vt eadem ordine bono, non confuſè atque perturbatè proponantur. Itaq; cùm quę inueniun-

inueniuntur triplicia ſint argumenta, docentia, mouentia, delectantia ſeu conciliantia: quę conciliant, in Exordiis potiſsimùm: quę docent & probant, in narrationibus, confirmationibus, refutationibus: quæ denique mouent, in amplificationibus & perorationibus ſunt adhibẽda. Deinde cùm leuia ſint alia, alia ponderoſa, & in his ipſis quoque diſcrimen non paruum reperiatur: quæ pondus in dicendo magnum non habent, in medio ſunt collocanda: firmiſsima verò aut in principio, aut fine ponenda. Turpe enim eſt orationem decreſcere: perniciofum, vel in principio, vbi magna attentio: vel in fine, vbi memoria maximè viget, leuia aut nugatoria adferre. Septimum ἐργασίας, tractationis eſt, quæ diuerſa apud dialecticos & oratores deprehenditur. Eſt enim breuis illorum, nuda, ſimplex, vniuſmodi: horum copioſa, varia, multiformis: vt artificium tegatur: ſimilitudinis vitetur ſatietas: argumẽtorum puncta occulantur, ne animaduerti ab auditoribus poſsint. Qua quidem de re pulchrum extat præceptũ Quintiliani libro Inſtitutionum quinto, capite decimoquarto: Locuples, inquit, & ſpecioſa vult eſſe eloquentia, quorum nihil conſequetur, ſi cõcluſionibus certis, & crebris, & in vnã propè formam cadentibus conciſa, & contemptũ ex humilitate: & odium ex quadam ſeruitute: & ex copia ſatietatem: & ex amplitudine faſtidiũ tulerit.

7. Præceptũ tractationis.

Quintiliani de argumentorũ tractatione præceptum.

Feratur igitur non ſemitis, ſed campis: non vti fontes anguſtis fiſtulis colliguntur, ſed vt latiſsimi amnes totis vallibus fluat, ac ſibi viam, ſi quando non acceperit, faciat, &c. Verùm cum præceptis hoc certis comprehendi nequeat, vtile cumprimis & neceſſarium eſſe arbitror, vt παραδειγμάτων, exemplorum locos in promptu eloquentiæ Studioſi habeãt, eorundemque collatione adhibita videant, quo pacto variè à Cicerone tractata argumenta fuerint. Poterit autẽ, vt mea quidem fert opinio, volumen eiuſcemodi παραδειγματικὸν in quinque partes diſtingui: quarum prima Exordiorum erit, in qua tractationes eloquentiæ Studioſi notabunt in loco:

Loci παραδειγματικοὶ qui & quomodo instituendi.

I. Sententiarũ, quibus in captanda beneuolẽtia Cicero à ſua perſona vtitur.
II. Quibus eandem à Iudicum aliorumq; perſona conciliat.
III. Quibus reorum probitatem, innocentiam, miſerias commendat.
IIII. Quibus propter improbitatem, impudentiam, crúdelitatem, leuitatem, ſtultitiam, in odium atq; inuidiam aduerſarios rapit.
V. Quibus attentio pollicitatione rerum magnarum, difficilium, vtilium, iucundarum comparatur.
VI. Quibus dociles auditores redduntur rei tractandæ vel propoſitione, vel diuiſione.

VII. Qui-

VII. Quibus tectè atque occultè, vel in cauſa turpi, vel auditorum cùm perſuaſione, tùm faſtidio animi occupantur.

Pars altera Narrationum exempla & tractationes continebit.

I. Attributi perſonarum.
II. Locorum.
III. Actionum & impiè, intemperanter, auarè, ſtultè factorum.
IIII. Λογισμῶν conſiliorum & cogitationum.
V. Τρόπε, agendi modi.
VI. Αἰτίων, cauſarum.

Pars tertia Confirmationum erit, & propter varietatem atque copiam ſecundum genera cauſarum atque materias diſtinguetur: ita vt locus ſit:

I. Conſultationum de honoribus & præmiis, benè de nobis aut Republica meritorum.
II. De Pœnis & ſuppliciis.
III. De Electione Imperatoris, Cõſulis, &c.
IIII. De Bello ſuſcipiendo & gerendo.
V. De Pace colenda.
VI. De Legibus, edictis, decretis, actis, mandatis.
VII. Demonſtratiui generis, de celebrandis & exaggerandis beneficiis.
VIII. De Laude eruditionis ac doctrinæ.
IX. De Commendatione eloquentiæ, iuris ciuilis, poeſeos.

X. De Re militari.
XI. De Agriculturæ laudibus.
XII. Perſonarum, de patria, parentibus, educatione, vitæ genere, morte, & quæ hanc ſecuta.
XIII. De rebus geſtis & ſapienter, fortiter, iuſtè, temperâter, liberaliter factis.
XIIII. De Reprehenſione perſonarũ, patriæ, parentũ, educationis, vitę generis.
XV. De Vituperatione factorum ſtultè, timidè, iniuſtè, libidinoſè, auarè.
XVI. De Gratulatione.
XVII. Iudicialis generis in ſtatu coniecturali, de inſidiis, vi, ambitu, parricidio.
XVIII. In definitiuo, de bello, improbitate, popularitate, vi, armis, repulſione, deiectione.
XIX. In qualitate, de cæde, bonorum occupatione & poſſeſsione, damnatione, pœna, vi, ignominia, contumelia.

Pars quarta Refutationum, congeſta & digeſta exempla habebit, & quidem in deliberationibus atque conſultationibus loci erũt:
I. De Honorum & præmiorum diſtributione.
II. De Pœnis & ſuppliciis.
III. De Magiſtratus certi electione.
IIII. De Bello.
V. De Pace.
VI. De Legibus, edictis, decretis.

VII. De

VII. De iis, quæ improbè, imprudenter, iniuſtè, auarè facta dicuntur.

VIII. De Refutatione in coniecturæ ſtatu, inſidiarum, ambitus, fraudationis, furti, peculatus, attentatæ pudicitiæ, ciuitatis falſò vindicatæ.

IX. In Definitiuo: de vi, ambitu, pace, beneficio, popularitate, iracundia.

X. In Qualitate: de nece, imperata pecunia, munere, bonorũ acquiſitione, ciuitate, pœnis & præmiis, &c.

Quinta & poſtrema pars Perorationum exemplis abſoluetur: vbi locus erit:

I. In Deliberatiuo genere ſententiæ explicationis.

II. προτροπῆς, cohortationis.

III. ὑποσχέσεως, pollicitationis grati animi, defenſionis, &c.

IIII. In Demonſtratiuo gratiarum actionis.

V. Laudationis.

VI. Adhortationis.

VII. In Iudiciali enumerationis.

VIII. Animorũ motus atq; perturbationis.

Hoſce generales maximè locos in orationibus Ciceronis qui adhibuerint: facilè, opinor, quomodo oratoriè & variè ſint tractanda argumenta, intelligent.

8. Præceptũ elocutionis. Octauum præceptum Elocutionis eſt, ſine qua reliqua omnia exigui ponderis momentiq; eſſe videntur. Hoc enim oratoris munus eſt atq; officium proprium: vt quæ rudia

ſunt & inculta, ornet ac veſtiat, & λόγον ἐσχηματισμένον, conformatione quadam factam orationem adferat. Conſiſtit autem Elocutio omnis in verbis, ornamentis, ſtructura, numeris, periodis, quæ tùm rectè, decorè, atque laudabiliter adhibentur, cùm ipſarum rerum & ſententiarum ſingulis in cauſarum generibus ratio habetur.

Deliberatiui generis elocutio. In genere deliberatiuo, cũ de rebus magnis atq; grauibus conſultationes inſtituũtur, ſentẽtiarum magis pondus, grauitas & breuitas, quàm magnus orationis ſplendor requiritur; quia ſapiens conſilium: quia nõ vni, ſed pluribus dicendum: quia apparatus nimius artem & diligentiam prodit. Itaq; verba hîc erunt pura, grauia, perſpicua: ornamenta non nimis illuſtria: vt permiſsiones, interrogationes, precationes, communicationes, προκλήσεις, prouocationes, παῤῥησίαι, dubitationes, confeſsiones, pollicitationes, prę-teritiones, aſſeuerationes: ſtructura non neglecta quidem, ſed non elegans nimis, concinna, exquiſita: numeri non inſignes: periodi breues, nõ longæ & circumductæ.

Demonſtratiui generis elocutio. In genere demõſtratiuo, quia ſuauitas maximè quęritur & delectatio, verba adhibebuntur elegantia, pura, latina, εὔφωνα, quæ ſuauẽ ſonum habent, tranſlata, immutata: ornamenta, quę venuſtam, gratam, concinnam orationẽ reddunt, vt agnominationes, conuerſiones, complexiones, circuli, ſimiliter concluſa, eodem modo cadentia: item interrogationes, ſubiectiones,

ctiones,ſuperlationes,ſubmonitiones,perſonarum fictiones, exultationes, dubitationes, demonſtrationes, ἐπικρίσεις: commorationes, exclamationes,digreſsiones: ſtructura exquiſita & accurata,ſine aſperitate, ſine vocalium coitione, ſine conſonantium colliſione: numeri ſuaues ac iucundi: periodi venuſtæ & concinnæ, μετρίως μακραὶ moderatè, non nimis vel breues,vel longæ. In iudiciali deniq; genere locum habebunt verba ampla, ſignificantia, ſonantia, plena, modificata, immutata: ornamenta ἀγωνιστικὰ, certaminibus accommodata, contentionem & clamores poſtulantia: vt ſunt geminationes,repetitiones, iterationes, contrariorum oppoſitiones, interrogationes acres, compellationes, exclamationes, deteſtationes, execrationes, ſermocinationes: verborum ſtructuræ & coagmentationes viriles,non muliebres,hoc eſt,concinnæ nimis atq; accuratæ: numeri deniq; atq; ambitus aſperitati, acrimoniæ, amplitudini magis quàm concinnitati,venuſtati, delectationi accommodati.

Iudicialis generis elocutio.

De Emendatione ſcriptorum, cùm noſtrorum, tùm aliorum.

CAP. XIX.

QVartus in ſtyli exercitatione locus cenſuræ eſt & emẽdationi aſsignatus, & aſsignatus neceſſariò; propterea quod in ea non minus atq;

ſuperioribus peccatur ab eloquētiæ Studioſis, qui in corrigendo vel nimis ſunt diligentes & ſuperſtitioſi; vel φιλαυτίᾳ quadam, aut negligentia limam in iis, quæ ſcripſerũt, moramque non adhibent. Præclarè vt omnia, Horatius de Quintilio:

Emendatoris boni officium ab Horatio deſcriptum.

Quintilio ſi quid recitares; corrige, ſodes,
Hoc aiebat, & hoc; melius te poſſe negares
Bis, terq́; expertum fruſtrà: delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quàm vertere malles,
Nullum vltrà verbũ, aut operã ſumebat inanẽ.
Quin ſine riuali teq́; & tua ſolus amares.
Vir bonus & prudens verſus reprehendet inertes:
Culpabit duros: incomtis allinet atrum
Tranſuerſo calamo ſignum: ambitioſa recidet
Ornamenta: parùm claris lucem dare coget:
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit.
Fiet Ariſtarchus: nec dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis? hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel exceptumq́; ſiniſtrè.

Quem quidem integrè recitare locum placuit propterea, quòd egregiè ille & diſcipulorum, & præceptorũ bonorum ac fidelium in emendando officium exprimit. Eſt enim illorum munus ſcriptorum ſuorum cenſores atque emendatores quærere, non ea amare & laudare: & quærere viros bonos ac prudentes, non adulatores, aut indoctos: & errata agnoſcere, nõ defendere: & amore non odio correctores proſequi: horum emendandi labores

bores atque moleſtias libenter, non grauatè in ſe recipere: emendare prudenter & fideliter: errata indicare liberè: inutilia, otioſa, inertia in inuentione: dura in collocatione: in elocutione incompta, reprehendere, reſecare, tranſuerſo calamo inducere: laude excitare bonos: relinquere eos, qui aut inepti prorſus, aut obtemperare atque corrigere errata ſua recuſant. Verùm vt & hac in re eloquentiæ Studioſorum conatus præclaros iuuem ac promoueam, paucis quo ordine, modo & iudicio illis ſit in ſcriptorum emendatione vtendum, indicare conabor.

I. Primùm ergo ab eo, qui ſua corrigere conſtituit, requiritur, vt, quæ ſcripta ſunt ſemel, à capite omnia diligenter relegat, & de ſingulis quaſi in conſilium eat: vt vel Cleantis illa lucernam oleant, vel demorſum, quod aiunt, vnguem ſapiant. Sunt autem in recognitione iſta conſideranda, atque ponderanda: primùm ſententiarum genera, vtrum bonæ illæ & vtiles, & aptæ: non ineptæ, leues, nugatoriæ, inutiles ſint: deinde verba: tum σχήματα, lumina & ornamenta: quartò συνθήκη, cōpoſitio & ſtructura, numeri, periodi: quinto μέθοδος & tractatio. *Scripta diligenter recognoſcenda et relegenda.*

II. Alterum quod in emendando neceſſariū eſt, vt emedationis modos cognitos eloquentiæ Studioſus habeat: quorum quinque ſunt. Primus eſt προσθέσεως, additionis, vt illis, quæ in verbis aut ſententiis deſiderantur, ita vt auditorum vel animis *Modi quinque emendationis tenendi.*

vel auribus ſatis nõ fiat, aliquid adiiciatur. Secundus contrarius eſt, διαφαιρέσεως, vt ſi quid ſuperfluum in ſententiis, verbis, ornamentis, periodis, quod non admittat animus, aut reſpuant aures, tollatur & reſecetur. Tertius μεταβολῆς, commutationis eſt ſententiarum, vocabulorum, ornamentorum, numerorum, periodorum, cum melioribus, ſonantioribus, ſignificantioribus, gratis & acceptis magis auditorum cùm animis, tùm auribus. Quartus μεταθέσεως τῆς τάξεως, loci immutationis ſeu tráſpoſitionis eſt. Sæpe enim fit, vt in fine vel verba vel argumenta poſita magis auditoribus placeant, quàm ſi in principio aut medio collocata fuiſſent. Quintus ποικιλίας, varietatis eſt ſententiarum, verborum, ornamẽtorum, numerorum, periodorum. Quemadmodum enim ingratus muſicus ille eſt, qui chorda ſemper oberrat eadem: ita vel optimæ ſententiæ, & λέξεις dictiones ingratæ ſunt, magnoq́; cum tædio audiuntur, ſi vna eademq́; in oratione ſæpe repetantur.

III. *In emendatione præceptorum, authorum bonorum, circumſtantiarum obſeruatio neceſſaria.*

Vt verò modi hi rectè adhibeantur, tertio loco opus eſt τηρήσεως, obſeruatione præceptorum, vt quę ſunt in arte tradita, in memoriam reuocentur, & quo pacto cum iiſdem noſtra ſcripta conueniant, conſideretur. Deinde lectione probatorum authorum, & commentariorum latinæ linguæ: vt quæ verba noua, parum latina, non vſurpata ab aliis reiiciatur. Tum conſideratione ipſius rei ad tractandum propoſitæ: vt quę ſẽtẽtię, verba,

verba, ornaméta, periodi magis materiæ conueniunt, minus aptis atque idoneis præferantur. Poſtremò perſonarum & auditorum notatione. Aliud enim cùm ſententiarum, tùm verborum genus doctis & prudentibus placet: aliud indoctis atq; imperitis gratum eſſe ſolet. Neque verò rectè inſtitui illa poterunt, niſi præpropera vitetur feſtinatio, operaque detur, vt temporis aliquo ſpatio interpoſito ad ſcripta reditus fiat. Quod enim parentibus accidere videmus, vt recens natos liberos nimiùm ament & oſculentur: idem etiam eloquentiæ euenire Studioſis ſolet: vt plus æquo ſuis primò ſcriptis delectentur: pòſt verò de iiſdem, quaſi alienis rectiùs feliciusq; iudicent. Præter hanc autem moram etiam ἀπάθεια quintò neceſſaria eſt. Præclarè Plutarchus diſcipulos ad audiendum non ſecus atque ad ſacrum quoddam conuiuium, hoc eſt, animo tranquillo, placido, quieto accedere iubet. Idem quoque in ſcriptorum emendatione obſeruandum eſt: operaque danda, vt ira, odium, amor, aliæque perturbationes abſint, quę plerunq; verum rectumq; iudicium impediunt. Sed & hoc ſextò eſt vtile, vt, quę ſcripta ſunt à nobis, clara voce recitẽtur, maximè propter συνθήκην, verborum collocationem & numeros, de quib⁹ neceſſariò aurium eſt iudicium conſulendum & acerrimum, & ſuperbiſsimum. Vnde non raró fieri ſolet: vt ſcripta placeat oratio: pòſt verò recitata non

IIII. *Vitanda in emendando præpropera feſtinatio.*

V. *Ἀπάθεια in emendando neceſſaria.*

VI. *Recitatio in emendando requiritur.*

probetur, propter ſtructuram aſperam atque inconcinnam, membrorum etiam vel breui-
VII. tatem, vel longitudinem. Ad hanc recitatio-
Συζήτησις, communicatio. nem & cenſuram priuatim inſtitutam ſeptimò *συζήτησιν*, communicationem accedere oportet: vt ſcripta noſtra iis oſtendamus, qui propter ingenium, doctrinã, vſum rectè iudicare: & amorem atq; beneuolentiam monere fideliter nos poſſe vidẽtur. Vnde illud poetę:

——Si quid tamen olim
Scripſeris, in Mecij deſcendat iudicis aureis,
Et patris, & noſtras.——

Eſt enim primùm cæcus amor ſui: omnes nimium ingenij quaſi fœtus artifices amãt. Vnde Socrates apud Platonem rectiùs de liberis nutrices, q̃ matres iudicare affirmat. Deinde his quoq; nominibus vtilis ac neceſſaria ſcriptorum communicatio eſt: quòd placere illa non vni, ſed multis oportet: quòd priuatim ab amico, quàm aliis publicè moneri & reprehendi præſtat: nimia denique in ſcribẽdo ita
VIII. cura atque ſolicitudo tollitur. Et quidem il-
Nimia & ſuperſtitioſa in emendando diligentia vitanda. lud quoque octauo eſt & poſtremo loco obſeruandum: vt finem tandem emendatio habeat, & anxia atq; ſuperſtitioſa diligentia vitetur. Vt enim qui nimium ſua ſcripta amant & probant, meritò reprehenduntur: ita neq; illi laudandi ſunt, qui de tabula tollere manũ neſciunt: diruunt, ædificant, mutant quadrata rotundis. Faſtidire enim tandem hoc modo ſtylum adoleſcentes incipiunt; cura atq;

labore

labore confecti tacere, quàm dicere malunt: ſæpe etiam dũ peccata effugere maximè ſtudent, maximè peccare ſolent. Et facilè Iſocrati homini otioſo fuit quindecim annos integros Panegyricæ orationi tribuere, quod nobis, nec vitæ breuitas, nec ſtudiorũ varietas, nec negotiorum multitudo concedit.

In aliorum emendandis ſcriptis quæ vitanda.

Atque hæc quidem noſtris in ſcriptis elimandis & corrigendis oſeruanda erunt. Aliena verò emendaturi, cùm illa, quæ modò indicaui, ſequi poterunt, tùm verò operam dabunt, vt eorum cognita probè perſpectáque ingenia habeant, quorum corrigere ſcripta volunt. Laudat hanc in Iſocrate diligentiam Cicero: qui cùm diſsimilis naturæ diſcipulos duos Ephorum atque Theopompum haberet: in altero calcaribus: frenis in altero vſus eſt. Calcaribus autem opus habent ignaui & ſomnolenti: meticuloſi & verecundi nimis: minùs ab ingeniis inſtructi ac parati. Horum aridum & exangue dicendi eſt genus: vbi neceſſe eſt, vt aliquid adiiciatur. Frenis contrà excitatis ingeniis præditi, audaculi, laudis atque gloriæ cupidi egent: quia genus dicendi amplum, copioſum, luxurians amant: vbi lima quædam requiritur: vt quæ ſunt nimia, reſecentur. Quòd ſi verò, vtrum diſcipulorum genus probandum ſit magis, quæratur: equidem luxuriantes magis quàm aridos probandos eſſe cenſeo. Faciliùs enim ſuperflua reſe-

Diſcipulorũ ingenia conſideranda.

cari, quàm quæ deſunt & deſiderantur addi poſſunt. Et Cicero ipſe redundantem in iuuentute, ac quaſi extra ripas diffluentem, Aſiaticum quoque non ſeſe factum, ſed natum eſſe fatetur. Deinde ætatis quoque in aliorum corrigendis ſcriptis eſt ratio habenda, diligenterque conſiderandum, quid exigi ab ea, aut poſsit, aut debeat. Peccant enim, & peccant grauiter, nec ad ſcribendum excitát, ſed deterrent eloquentiæ Studioſos, qui perfectionem neſcio quam in iiſdem quærunt. Neque cogitant, ſua quamque rem primordia: ſuos progreſſus: ſuam perfectionem, atque abſolutionem habere: & infantes, cùm vires tentare ſuas cupiunt, cadere ſæpe, & cum fletu reſurgere: & Hectorem puerum incertis paſsibus oberraſſe: & denique verum eſſe illud poetæ:

Ætatis in aliorũ emendandis ſcriptis ratio habenda.

EST qui non potuit dicere, dixit ERIT.

Poſtremò etiam modus in corrigendo tenendus eſt: neque Philoxeni exemplo vna litura emendanda omnia, ſed relinquéda quędam, à diſcipulis quæ adferuntur. Iucundus enim eſſe ſtylus: & excitari, non deterreri iuuentus debet. Itaque emendatoris eſt boni & prudentis: ſine iracundia atque ſtomacho aliorum ſcripta corrigere: ferre non pauca: laudare multa: de ſuo etiam quædam adiicere, quibus veluti propriis, non alię nis diſcipuli delectentur.

Nimia ſeueritas in aliorũ corrigendis ſcriptis fugienda.

De

De Memoria, quomodo quæ ſcriptæ iam & emendatæ orationes, eidem mandandæ.

CAP. XX.

Qvatuor hactenus exercitationum ſtyli partes abſolutæ ſunt: reſtat, vt quomodo ea, quæ correcta iam ſunt, & emendata, memoriæ mandanda atq; recitanda oſtendatur. Quoniam enim non ſibi & muſis ſuis canere, ſed in lucem aliquando prodire, ſeq; literatis probare, eloquentiæ Studioſum oportet: non ſatis eſt materiam ad ſcribendum idoneam noſſe: locum atq; tempus commodum deligere: ordinem & methodum ſcribendi tenere: emendandi denique cognitas rationes habere: verùm etiam hoc requiritur: vt quæ ſcripta iam ſunt & emendata, memoriæ committantur, ac in medium proferantur. Ac tametſi Dei ſit donum memoria præſtans: tamen vt cæteris in rebus omnibus naturam nō quidem procreat, ſed tamē iuuat & confirmat plurimùm ars, doctrina, obſeruatio: ita quoq; vt facilè feliciterque memoriæ ſcripta iam mandentur, non, opinor, inutile eſt obſeruationes quaſdam tenere, quas memor promiſsi ſtrictim atque breuiter hoc indicare in capite conabor. Soliti ſunt veteres, vt ex Cicerone apparet, interdum non integras orationes memoriter pronunciare, ſed de ſcripto quædā, maximè *Veteres non integras ſemper orationes memoriæ mandabant.*

difficilia & obſcura recitare. Conſuetudo illa in Scholis hodie locum non habet: ſed integræ orationes aut ex ſcripto recitātur ab iis quos vel ætas, vel ingenij imbecillitas, vel metus & verecundia, vel temporis anguſtia, vel negotiorũ multitudo excuſat: aut (quod magis laudandum) ex memoria ſine ſcripto proferuntur.

I. *Temporis in ediſcendis orationib⁹ ratio habēda.*

Poſterius hoc commodè vt inſtituatur, primò temporis eſt ratio habenda: vt, qđ retinere diu volumus, manè aut poſt digeſtum cibum memoriæ credamus. Neq; tamẽ inutile eſſe interim videtur, ſub ſomnũ ſcripta ediſcere, quod noctis ſpatio interpoſito, & maturatur quaſi recordatio: & defatigatio tollitur.

II. *Relegēda ſæpe, & intelligenda quæ memorię mādanda.*

Secundò ἀνάγνωσις & νόησις lectio diligens, & cognitio atq; intelligentia neceſſaria eſt eorum quæ memoriæ tradenda. Magno enim cum labore ediſcũtur, nec retinentur diu, quę non intelliguntur. Itaq; relegenda ſunt ſæpe quæ ediſcere volumus, operaq; danda, ne quid in iis noſtram intelligentiam fugiat.

III. *ἀπάθεια in memoria requiritur.*

Tertiò ἀπαθεία quoq; eſt opus: Qui enim ſibi metuunt, aut alia aliqua magna ſunt in perturbatione conſtituti, memoria valere non ſolent. Tollitur autem, qui memoriæ maximè obſtat, metus, ſi (quod apud Platonem adoleſcenti cuidam præceptũ dat Socrates) cum ſingulis, non vniuerſis nos agere cogitemus: deinde benè de auditoribus ſperemus. Cùm ab Athenienſibus aliquando legatus ad Philippum miſſus eſſet Demoſthenes, re-

gis

gis pe: terrefactus aſpectu, obmutuit. Dicendi in ſeſe partes Æſchines ſuſcepit, feliciterq́; perorauit, eiuſdem fretus beneuolétia, quam ex oculis aliisq́; ſignis deprehenderat. Non ergo vel de auditorũ beneuolentia, paratoq́; audiendi ſtudio dubitandum: vel metuendi vniuerſi, qui ſinguli formidinem nobis atque terrorem incutere non debent. Quartò, vt facilè memoriæ ſcripta tradantur, retineantur diu atque firmè, παρατήρησις artis obſeruatio requiritur. Qui enim artificium intelligunt: qui methodum oratoriam cognitã habent: qui quid, & qua ratione in exordio cæteriſq́; orationis partibus tractetur, norunt, ſine labore magno quæ recitanda ediſcent. IIII. *Memoriam παρατήρησις artis obſeruatio iuuat.*

Quinto etiam loci memoria eſt ratio habenda, & quę eidem committenda, in ſolitudine, & quidem clara voce recitanda. Nam & firmiùs memoriæ infiguntur, quæ voce clara proferuntur: & animus nobis additur, vt minus perterrefiamus, ſi quid nobis fortè inter dicendum obiiciatur: & melius atq; facilius, vbi hæſitemus, animaduertitur. V. *Recitatio clara in ſolitudine memoriæ conducit.*

Poſtremo etiam de modo eſt cogitatio ſuſcipienda, & conſiderandum diligẽter, vtrum ad verbum ſcripta ediſcenda, an verò libertas in his retinenda, vitãda ſeruitus ſit. Neq; ſanè ſummis dicendi magiſtris diſplicere video: vt ad verbũ ſcripta à pueris & adoleſcẽtibus ediſcantur: q negotiis grauibus diſtricti nõ tenẽtur: nec libertatem ſibi quærere illam debẽt, quæ VI. *Quando ad verbum, & à quib. ſcripta ediſcẽda.*

nec libertatem ſibi quærere illam debẽt, quæ vel exercitatis iam, vel occupatis, vel minus à memoria inſtructis concedi ſolet.

De Pronunciatione, quomodo orationes ſcriptæ, & memoriæ mandatæ, recitandæ.

CAP. XXI.

MAndata iam memoriæ oratione, hoc eſſe reliquũ vnicum videtur, vt commentationem incluſam in lucem eloquentiæ Studioſus producat: ſed tamẽ meditatam ſecum actionem adferat. Habuerunt φωνασκίας, & ἀναφωνήσεις, & ᾠδεῖα veteres, in quibus antè carmina atq; orationes recitabantur, q̃ auditorum auribus & iudicio committerentur. Gracho quoque ſeruum aſtitiſſe legimus, qui fiſtula eburneola ſonum ac pronunciationis modos varios inflaret. Et eſt profectò vocis neceſſaria, vtilis, iucunda varietas atq; commutatio: neque tædioſum quicquã magis, quàm ineptè aut ſomnolenter recitantem audire declamatorem. Sed domi relinquẽdi fiſtulatores, aliæq; indicandæ rationes erunt, obſeruandæ iis, q ea quę non ſine magno labore & ſcripſerunt, & memoriæ mandârunt, cum auditorum ἐπι-σημασίᾳ atque oblectatione proferre cupiunt. Primùm ergo vt vocis moderatio & varietas rectè inſtituatur; & interdum ea extollatur:

1. *Rerũ & ſententiarũ in conformanda voce ratio habenda.*

non-

nonnunquã deprimatur: aliquando inflectatur: rei illius & materiæ quæ tractatur: deinde ſententiarũ eſt atq; argumentorum ratio habenda. Etenim cùm res aliæ magnæ ſint ac graues: mediocres aliæ: aliæ leues & tenues: in his remiſſa, & quotidianæ locutionis ſimilis vox requiritur: ſuauem, iucundam, lætam, mediocres: contentam & magnã magnæ atq; amplæ deſiderant. Eodem modo & ſententię in orationum principiis conciliantes, vocem lenem ac ſedatam: in narrationibus & confirmationibus claram, apertã, temperatam, docentes: παθητικῶς mouentes in perorationibus, ſimilem affectibus: acutam, aſperam, incitatam, incidentem crebrò in ira: flexibilem, plenam, interruptã in miſericordia: in metu demiſſam, hæſitantem, abiectam: in voluptate atq; lætitia effuſam, teneram, mollem requirunt. Quibus & geſtus motusq; corporis accommodandi erũt, cauendumq; diligẽter, ne ſubruſticè, aut hiſtrionicè agamus, & viri boni atq; grauis authoritatẽ amittamus. Hanc II.
verò ad rem vtile cumprimis ac neceſſarium eſt, vt iudex & cenſor aliquis adhibeatur doctus, fidus, apertus, candidus, qui ſolitario in loco pronunciationis liberè vitia indicet, voce etiã præeat, & quæ ſint, ac quomodo corrigenda, oſtẽdat. Vnde Satyro hiſtrioni Demoſthenem, Roſcio & Æſopo Ciceronẽ ſeſe tradidiſſe, aliorũ opera alios oratores in geſtus vociſq; vſos fuiſſe conformatione nouimus.

In voce atq; actione formanda cenſores adhibendi.

III. *Obſeruandi ij qui benè vel ſecus agunt & pronunciant.*

Tum & obſeruatio atque imitatio nō parum prodeſt illorum, qui in Eccleſia, in Senatu aliiſque locis dicere ſolent. Fecit hoc Cicero, qui, vt ex Bruto apparet, decem ferè annos in foro, roſtris, curia, aliorum auditor extitit, & quid eſſet in ſingulis, aut laudabile & ἀξιοζήλωτον, imitatione atq; æmulatione dignum, aut vitioſum ac fugiendum obſeruauit. Neque enim quiſquam tam eſt orator malus, in quo non aliquid quod laudandum atque exprimendum imitatione deprehendatur: nec contrà inſignis vllus, in quo non deſiderari quædam poſsint. Vnde Antigenidas tibicen celeberrimus etiā maiori cum voluptate iuuenes arbitrabatur tibicinas bonos audituros eſſe, ſi quando malos audiuiſſent. Et Antiſtio quodam actore parum laudabili Cicero magiſtro eſt vſus: qui in eo illi profuit, vt non deteriorem ſeſe illo lætaretur.

IIII. *Imitationis exēpla ſi deſint, ad præcepta confugiendum.*

Poſtremò illud quoque requiritur, vt ſi qui ad imitandum proponantur, non ſint in promptu, ad dicendi artis præcepta eloquentiæ Studioſus confugiat: ex quibus facilè intelligitur, quo pacto oratores ſummi ſuas orationes pronunciârint, qualem vocē & actionem aut admiſerint, aut reiecerint. Itaque quoties Ciceronis, Herenniani magiſtri, Quintiliani de pronunciatione atq; actione monumenta eloquentiæ Studioſi legent, toties ſummos ſe audire & videre oratores arbitrabuntur.

Methodi

Methodi inſtitutæ concluſio.
CAP. XXII.

PAucis, & quantum mea quidem tulit facultas, viam quandá ac rationem indicare conatus ſum iis, q ad eloquentiam, rem longè pulcherrimam, vtiliſsimam, precioſiſsimam, plenis, quod aiunt, velis contendũt. Oſtendi ante omnia indolis & naturæ rationem habendam eſſe, eò q multa in oratore requirantur, quę in aliis non deſiderantur: à natura quoq; ſola concedi: non, vel arte comparari, vel alia acquiri ratione poſſunt: eamq; æſtimandam eſſe, acumine, ſubtilitate, celeritate ad inueniendum & collocandũ: vbertate ad eloquendum: memoria conſtãte & firma: vocis gratia ac ſuauitate: gloriæ cupiditate, pudore, verecundia: excitandam, excolendam, confirmandam bonã: emendandam mediocrẽ: ineptàm prorſus repudiandam. Docui, cum doctrina & præceptis veluti ſopita natura bona ſuſcitetur, intra cancellos quaſi ſeptaq; contineatur, iuuetur, perficiatur: acuatur mediocris; vitioſa limetur, corrigatur, ad frugem bonam perducatur: dicendi artis cognoſcenda præcepta eſſe, & petenda primũ ex compendio, ſed vnico, & quidẽ eo, quod ad fontes q̃ proximè accedat: deinde Ariſtotelis, Ciceronis, Hermogenis, Quintiliani ſcriptis: ita vt inde ſumantur, quæ vtilia ac neceſſaria eſſe viden-

tur, eaq; ſecundum oratorij officij partes diſtinguãtur, & ad locos certos comportẽtur: quæ in vno aliquo authore deſiderantur, ex aliis compleantur: obſeruẽtur exempla, ſine quibus obſcura, inutilis, faſtidij plena omnis præceptio: in vſu, quid res ad tractandũ propoſita requirat, poſcat tempus, poſtulet locus, flagitent auditores, conſideretur: caueatur deniq;, ne artis oſtentatione puerili vel fides, vel authoritas amittatur. Demonſtraui, præter naturam & præceptorũ cognitionem etiam rerum pulcherrimarum ſcientiam poſtulari: vt præclaris & eruditis tincta ſententiis, inſtructa exemplis, atq; ita non modò pura, elegás, latina, verùm etiam ſapiens atq; docta ſit oratio: ideoque requiri, vt & diuina teneat orator, & ius nõ ignoret ciuile, & quę ab hiſtoricis, philoſophis, poetis tradita cognoſcat, auſcultando, legendo, communicando: recta ac praua diiudicet: in locos communes referat: ad vſum πρακτικῶν decorè transferat rerum & ſententiarum, verborũ, tractationis habita ratione. Contendi ad eloquentiam parandam imitatione carere adoleſcentes non poſſe: cùm artis illa dicẽdi pręcepta in memoriam reuocet, confirmet, illuſtret, regat, ad vſum transferre doceat: ſcribendi faſtidiũ tollat: pellat negligentiam: confidentiam reprimat: curam & ſolicitudinẽ nimiam adimat: vitioſa emẽdet: bona confirmet, excolat, perficiat, & eam inſtituendam eſſe, non in vitiis,

ſed

ſed virtutibus: nô facilibus,leuibus,nugatoriis,ſed magnis,vtilibus,difficilibus:nõ in formulis ſolùm elegantibus, aut dicẽdi luminibus,ſed inuentione,collocatione,elocutione, numeris,periodis,omnibus deniq; iis,quę in bona, laudabili, vereq; oratoria ſpectari oratione ſolent: & inſtituendá eſſe nõ in multis, ſed vno, ne varietate ac copia imitatoris cogitationes diſtrahãtur,ſtudium debilitetur,induſtria frangatur,inepta,inconcinna,ſibi diſſimilis oratio reddatur:ita vt à faciliorib9 initio facto ad difficilia progreſsio fiat: rei qua de agitur,perſonarũ, locorum,temporũ conditio conſideretur: excitetur voluptas, faſtidium tollatur: ſeruitutis, furti,mendicitatis omnis ſuſpicio, ordinis immutatione, copia, breuitate,omiſsione, additione, cõformatione declinetur. Dixi ad eandem ſtyli quoque exercitationem flagitari, ꝙ dicendi ille magiſter optimus à Cicerone appelletur: ingeniũ acuat, ſentẽtias eruditas, verba pura doctaq; ſuppeditet: pronunciationẽ & memoriam iuuet:alia ſubminiſtret,ſine quibus honeſtè ſtare orator, ſuoq; rectè fũgi munere non poteſt. Difficultatem deniq; in eodem omnẽ tolli indicaui: ſi ad ſcribendum materia idonea, hoc eſt,ætati,naturæ,viribus,vtilitatibus noſtris accommodata ad tractandum ſumatur: tempus aptũ, locus commodus, & ab omni ſtrepitu atque turba remotus deligatur: methodus teneatur bona: in conſideranda & co

gnoſcenda cauſa exploranda quæſtione inueſtigandis, diſtinguẽdis, collocãdis, tractãdis, ornandis, honeſtandis ſentẽtiis: cenſura atq; emendatio diligens adhibeatur, facta recogni tione ſcriptorum, additione, detractione, ordinis immutatione, artis obſeruatione, communicatione: ita tamen, vt anxia & ſuperſtitioſa diligentia vitetur, ætatis ratio habeatur, ſpectetur varietas: memoria tempore, *ἀναγνῶσαι καὶ νοῆσαι*, lectione & intelligentia, artis notatione, diuiſione, & partitione iuuetur: vox tandem ac pronunciatio iucunda & varia ſit, rebus & ſententiis conſideratis, cenſore non neglecto, propoſito ad imitandum exemplo aliquo præclaro. Quæ quidẽ, cuiuſmodi ſint, ſi grata vobis, probata aliis fuerint, laboris ſuſcepti nõ fructum nullum me reportaſſe arbitrabor. Sin alia aliqua, eaq; magis vtilis & expedita à doctioribus via atq; ratio indicabitur, aut opinionem fortè meam aliquid fefellerit: meum tñ hóc ſtudium quantulumcunque, nemo, vti ſpero, reprehendet: quo & amicorum precibus locũ relinquere: & eloquentiæ Studioſis prodeſſe: & muneris atq; officij mei rationem habere conatus ſum. Quod reliquum eſt, Deum ego Opt. Max. vt omnium aliorum bonorum, ita quoq; eloquentiæ authorem rogo, Spiritu ſúo Sancto ita calamos linguasq; noſtras dirigere dignetur: vt ei grata: vtilia Reipublicæ nobis aliisque ſalutaria, & ſcribamus, & dicamus.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

ABſurda & παράδοξα vtrum exercitij cauſa tractāda 143

Academiarum felicitas 27. 80

Adoleſcētes laude & exemplis magis, quàm rationibus mouētur 18. gloriæ auidi 19

ad verbum quibus ſcripta ediſcenda 169

Aemulatio eloquentiæ Studioſo vtilis 20

ætatis in bonorum authorū lectione ratio habenda 77

ætas in ſcriptorum emendatione conſideranda 166

Alcibiades in inueniendo felix 11

Amor eloquentiæ ad eiuſdem ſtudium excitat 18

Anglicarum rerum ſcriptores 68

Antonius in collocatione felix 11

Ἀκρίβεια in ſcribēdo & corrigendo requiritur 163. in memoria neceſſaria 168

Apollonius rhetor ineptos ad alias artes remittit 31

Argumenta proponēda pueris rerū quotidianarum 137

argumentorum inuētio, collectio, ἐκλογὴ quomodo inſtituenda 50. 51

Ariſtophanes cur ab oratore legendus 70

Ariſtoteles æmulationi plurimum tribuit 20

Ariſtotelis Rhet. librorum laus & argumentū 36

Ariſtotelis libri Rhet. quid ſingulare notatuque dignum contineant 37. cū iudicio legendi 50

Ariſtotelis libri Politici cur legendi, & quæ tractent 59. Ethici ibid.

Ariſtotelis liber de virtutibus & vitijs: ad Eudemum: moralia magna. ibid.

ars dicendi vtilis & neceſſaria 6. 32

ars iudicium magnum requirit 33. ex quibus authoribus diſcenda 36. ordinem & μέθοδον flagitat 45. locis communibus innatur 46. ſine exemplis ieiuna & infrugifera 49. ad vſum quo pacto transferenda 51.

tegenda & occultanda, non oſtentāda, ibid. obſeruata memoriā iuuat 169
Athenienſis Reipub. ſcriptores 65
Audacia & confidentia indolis nō bonæ ſignum 14
audiendi oratores alij 30
auditorum in rerum multarum comparanda ſcientia officium 75
authores quinam oratori legendi 53
authorum bonorum in lectione quis ordo tenendus 78

B

Bona natura quomodo excitada 17. vt excolenda 24
bona ingenia cur ſæpe pereant ibid.
bonitate, non numero ſententiarum orationes æſtimandæ 151
boni præceptoris in emendandis diſcipulorum ſcriptis officium 160

C

Caroli Sigonij hiſtoriæ Reipublicę Athenienſis 65
Cæſaris memoria admirabilis 12. commentaria 66
Cicero metum & timorem profitetur in orationum veſtibulis 13. Hortenſium æmulatur 21. naturæ vitia & defectus ſtudio emendat 29. oratores alios audit 30. quos imitatus 40. non tam è Rhetorum Scholis, quàm Academiæ ſpatijs orator 53. à Diodoro Stoico dialecticam diſcit 54. Thucydidem laudat 65. Terentio plurimum tribuit 74. ad imitādum maximè proponendus 114. quomodo Platonem & Ariſtotelem imitetur 119. Demoſthenē imitatur 128. eadem, non eodem modo dicit 130. Antiſtio actore parum laudabili præceptore vtitur 173
Ciceronis in iuuentute orationis genus luxuriās & Aſiaticum 25. 166. de libris Rhetoricis Ariſtotelis iudicium 36. tres de Oratore dialogi quomodo Ariſtotelico more confecti 37. libri Rhetorici cur cōmendati eſſe debeāt Studioſis, & quid contineāt 37. 38. 39. 40
ciuitatis & patriæ noſtræ hiſtoria tenendæ 64
Cognitio et conſideratio cauſæ cur & quomodo inſtituenda 148
collocatio ingenium & prudentiam

dentiam requirit 11. *argumentorum in ſingulis orationum partibus* 153
communicatio ſtudiorũ cur neceſſaria, & quomodo inſtituenda 97. *ſcriptorum* 164
compendiorum vtilitas 33
compendia quando diſpendia 34. *bona quæ. ibid.*
contrariæ materiæ exercitij cauſa tractandæ 140

D

DEcori in præceptorum vſu ratio habenda 51
delectus argumentorũ quis & quomodo inſtituendus 151
deliberatiui generis argumenta ex quibus locis ſumẽda 151. *elocutio qualis* 158
demonſtratiui generis argumenta ex quibus locis petenda 151. *elocutio* 158
Demoſthenes laudis cupidus 20. *temperans* 22. *diligentior quàm ingenioſior* 28. *ex tempore dicere recuſat. ibid. naturæ vitia diligentia & exercitatiõe corrigit* 30. *Satyro hiſtrioni forman dum ſeſe tradit. ibid. Eubulide præceptore in dialecticis vtitur* 54. *Thucydidis ſtudioſus* 56. *locum ad ſcribendum ſo-*
litarium quærit 146. *legatus obmuteſcit* 169
Demoſthenis & Ciceronis comparatio 126
Demoſthenis ſocij ſtudiorũ 21. *lucubrationes & vigiliæ* 145
Dialectica oratori neceſſaria 54
diligentia nimia in emendatione ſcriptorum vitanda 164
Diodori Siculi hiſtoriæ 65. 68. *reprehenſio* 82
Dionyſij Halicarnaſſæi hiſtoriæ 66
diſcipulorum ingenia in emendandis ſcriptis conſideranda 165
diſcrimẽ inter loci alicuius verſionem, explicationẽ, imitationem 122

E

EAdem quomodo tectè et eruditè ſæpe tractanda 129. 130
Elocutio ingenij vbertatem requirit 11. *quæ in ſingulis cauſarum generibus adhibenda* 158
elocutionis officium 11
eloquentiæ difficultas 2. *laus & commendatio vnde petenda* 18
Emendatoris boni virtutes ab Horatio deſcriptæ 160
emendatio ſcriptorum quæ requiratur 161

emendationis modi quinque 161
Euripides vtilis oratori 17. τεχνικώτατος ab Ariſtotele nominatur ibid.
Euripidis ſententiæ crebræ vnde ibid.
Exempla quid præſtent 49. quomodo colligenda. ib. quæ quos magis moueāt 90
exemplorum obſeruatio ad dicendi artem diſcēdam neceſſaria 49
exercitatione omnia meliora fiunt 29
exordiorum loci communes 154
explicationis exempla 124

F

Fabulæ poetarum cur & quomodo legendæ 83 apud quos maximè locū habeant 91. cur tractandæ 140
facultatum ſuperiorū quæſtiones exercitij gratia tractandæ 142
Feſtinatio præpropera ad altiora ſtudia pernicioſa 18. nimia vnde oriatur ibid. in ſcribendo vitanda 103
Fontes legendi 35
Fuſius imitator ineptus 14

G

Gallicarum rerum ſcriptores 68
Germanicarum rerum ſcriptores 64
Gracho dicenti ſeruus cum fiſtula eburneola aſtat 170
Græcarum rerum ſcriptores 67
Græca natio Comœda appellatur 111
Grammaticæ ignarus orator non fiet 53

H

Hereniana præcepta cur legenda 41. quid ſingulare & notatu dignū contineant ibid. cum iudicio legenda 51
Hermogenes omnium obliuiſcitur 16
Hermogenis libri Rhet. cur neglecti 43. cur legendi, & quid contineant 44. de Herodoto & Thucydide iudicium 65. iudicium de Homero 70. imitationis occultandæ modi 93
Herodiani hiſtoria 69
Herodoti hiſtoria 63. 68
Herodotus à quibuſdam reprehenditur 82
Heſiodus poeta qualis 70
Hiſtoriarum lectio vtilis oratori 55
hiſtoriæ quo ordine & modo legendæ 62. 63. quomodo in oratione tractandæ 140

hiſtoricum

hiſtoricum dicendi genus 82. 85
hiſtoricorũ orationes quales 86
hiſtoricis quibus & quomodo vtendum 90
Hiſpanicarum rerum ſcriptores 65
Homeri lectio vtilis oratori 70
Horatius 73

I

IMitatio iudicium requirit 110. 116. quorum inſtituenda 112. quo ordine & modo inſtituenda 115. ſtulta & inepta 14. 111. vnius an multorũ eſſe debeat 112.
Imitationis Ciceronianæ exempla in dicendi præceptis, philoſophicis, orationibus 109. 125. 126. occultãdæ modi 117. reprehenſio 110. vtilitas 8. 109
in Imitatione decorum obſeruandum 116
imitatoris boni officium 112
Indocti cur magis placeant populo in dicendo, quàm docti 88
inepti ad eloquentiæ ſtudia 13
ingenij acumen & celeritas in oratore requiritur 10
ingenia præclara quomodo excitanda ad eloquentiæ ſtudia 17. ſua quoque vitia habent 13
ingenia quo tempore exploranda 16
inuentio ingenij acumẽ & ſubtilitatem requirit 10
Iſocratis in explorandis & tractandis ingenijs induſtria 165
Iudicialis generis argumenta ex quibus locis ſumenda 152. elocutio 159
iudicium in libris Rhet. adhibendum 49. in lectione authorum variorum neceſſarium. 80
iuris ciuilis cognitio oratori neceſſaria 57
Iuuenalis 73

L

LAudis & gloriæ cupiditas bonæ indolis ſignũ 13
laude eloquentiæ Studioſi excitandi 18. 20
Lectio priuata & domeſtica quo pacto inſtituenda 76
Libanius in explorandis diſcipulorum ingeniis felix 9
Liuius 66
Loci communes Ethici, politici, œconomici 97. hiſtorici 103. poetici 107. παραδειγματικοὶ exemplorum cur & quomodo

inſtituendi 154. τεχνο-
λογικῶς quomodo conſi-
ciendi 47
loci communes in ſcriben-
do tractandi 140
locorum communium vti-
litas in præceptis 46.
vtilitas, neceſſitas, iucun
ditas 94. in varijs au-
thoribus inſtituẽdorum
præcepta generalia 95.
locorum ex quibus argu-
menta ſumuntur cogni-
tio & inueſtigatio 149
locus quis ad ſcribendum
deligendus 146
Lucanus poeta 73
Lucretius ibid.

M

Martialis poeta 73
Martialis epigramma-
ta quædam reiecta. ibid.
materia ad tractandũ qua-
nam idonea 135
materiarum tractãdarum
gradus quidam & ordi-
nes 136
Mediocria ingenia cur &
quomodo extolenda 25.
26
meditatio ingenij pabulum
27. quid requirat 149
memoria felix oratori ne-
ceſſaria 12
memoriæ labilis atque flu-
xæ exempla 16. exer-
citatio 28. quomodo o-
rationes mandandæ 167
μεταφορικῶς quo loco ha-
bendæ 138
methodi inſtitutæ cauſæ 1.
capita præcipua 4
methodus in ſcribendo ne-
ceſſaria 148
metus quomodo memoriæ
noceat & tollatur 169
Modus in diſcendis artis
præceptis ſeruandus 45
modo certo authores legen-
di 77
morum probitas in oratore
requiritur 22
Moſes hiſtoricorũ omnium
antiquiſſimus 63
Munſteri Coſmographia
67.

N

Natura in eloquentiæ
Studioſo cur & quo-
modo conſideranda 6.
à perfectione non inci-
pit 166. ſimul omnia
non producit 23
naturæ vitia quomodo cor-
rigenda 17
Nimia ſeueritas in ſcripto-
rũ emendatione fugien-
da 167

O

Obſeruandi ij, qui benè
vel malè pronunciant
172
Orationes Ciceronis & De
moſthenis plura habent
quàm à dicendi magi-
ſtris traduntur 49

orator

orator, niſi vir fuerit bonus, plurimùm nocet 23
oratoris & aliorum comparatio 31. *magna & ampla profeſſio* 53
oratori quinam authores legendi ibid. quonam modo tractanda ea, quæ apud authores alios reperiuntur 85
ordo omnibus in rebus vtilis & neceſſarius 2. *in eloquentiæ ſtudio maximè requiritur* 23. *in p̄ceptis diſcendis quis obſeruandus* 45. *quis in ſtyli exercitationibus tenendus* 147
Ouidij poema quale, & cur legendum 72

P

PArtitionum oratoriarũ Ciceronis commendatio 35
Perfectio ſemper quærenda 26
Pericles cur admirabilis in dicendo fuerit 55
Peripateticorum ſcripta oratori legenda 58
Philoſophiæ quænam oratori potiſſimùm pars vtilis 77
philoſophorum ſcripta cum iudicio legenda 84. *dicendi genus* 86. *dogmata quomodo ab oratore tractanda* 89
Phocylidis carmina 70
phyſica doctrina ab oratore non negligenda 55
Plato difficilis 84
Platonis libri Politici 58. *de ſententijs poeticis iudicium* 108
Plinij ſcripta non contemnenda 61
Plutarchi moralia 60. *vitæ vtiles politico* 69. *de audiendis poetis libellus* 83
Poetæ cur legendi oratori futuro 55. 107. *cum iudicio legendi* 82
poetarum tria genera 69. *ſcriptis quomodo vtendum* 91
poeticum dicendi genus 87
politica oratori cognoſcenda 59
Polybij hiſtoriæ 66
Præceptores in naturæ vitiis corrigendis adhibendi 30
præceptorum in recipiendis, vel reiiciendis diſcipulis officium 31
præceptoris boni in docendo virtutes 75
pronunciationis vitia quomodo corrigenda 29
Pudor honeſtus laudatur 13
Pythagoras propoſitis numeris diſcipulorum ingenia explorat 10

Q

QVæſtiones philoſophicæ cur & quomodo exercitij cauſa tractãdæ 142
Quintilianus ambitioſos diſcipulos probat 19. quid in ſingulis libris tractet 42. 43. Liuium eſſe edi ſcentiũ putat 66. quam nam imitationem reprehendat 110
Quintiliani inſtitutiones oratoriæ cur legẽdæ 42. de argumentorum tractatione præceptum vile 153

R

REcitatio ſcriptorum in emendando cur neceſſaria 164
Regum & Principum res geſtas qui deſcripſerunt 68
repetitio dictorum & actorum diurnorum memoria vtilis 29
rerum plurimarum cognitio cur & quomodo paranda 52
Rerumpublicarũ illuſtriũ ſcriptores 65. formæ conſiderandæ 90
Romanarum rerum ſcriptores 67
Romani doctos ſeruos & librarios aluerunt 79

S

SAlluſtij hiſtoria 67
Scientiæ cur et quænam oratori tenendæ 6. 52 multæ vt comparentur tria neceſſaria 75
ſcriptores ingenijs ſuis interdum indulgent 46
ſcripta noſtra vel aliorum quomodo corrigẽda 161. 165
Senecæ ſcripta quo loco habenda 61. Tragœdiæ cur legendæ 73
ſententiæ authorum diſcrepantes de eloquentia paranda 2. in orationibus non numerandæ ſed ponderandæ 11. in orationibus vſurpandæ quę auditoribus probantur 89
ſeruilis imitatio vitioſa 117
ſeueritas nimia in aliorum corrigendis ſcriptis fugienda 166
Socrates cur Sophiſtas reprehendat 52
ſolitudo ſcriptoribus conueniens 146
Sophocles quare legendus 71
Studium acre in oratore requiritur 28
ſtylus luxurians præclaræ indolis ſignum 25. 165. corrumpitur rerum & elocutionis confuſione 85. quo loco & tempore exercendus 144. 145

ſtyli